DE VENENO
ANIMANTIVM
NATVRALI ET ADQVISITO
TRACTATVS

AVCTORE

DOMINICO BROGIANI


FLORENTINO

IN PISANO ATHENEO

MEDICINAE PROFESSORE

EDITIO ITALICA SECVNDA

EMENDATIOR ET AVCTIOR.



FLORENTIAE, MDCCLV.

Apud ANDREAM BONDVCCIVM.

PRAESIDVM FACVLTATE.

CAESARI AVGVSTISSIMO
FRANCISCO
ROMANORVM IMPERATORI

HIERVSALEM ET GERMANIAE REGI
LOTHARINGIAE BARRI &c. DVCI
MAGNO DVCI ETRVRIAE
&c. &c. &c.

DOMINICVS BROGIANIVS
FELICITATEM.



SI Principum gloria populi felicitate, si populi felicitas scientiarum, artiumque cognitione continetur; probe omnes intelligunt, quanta


ſint tua, CAESAR, in Etruriam noſtram merita, quam novis auctam cognitionibus, artibusque eſſe volueris. Nam ſi ſpectatisſima eſt quae novo in Orbe, Principis auſpiciis detecto, Regii Fautoris nomine glorioſa inſcribitur memoria; quanto haec illuſtrior, quae eiusdem ſtudio prolatum efferat Veritatis imperium, novaque luce conluſtratam in ſubditis gentibus divinae aurae particulam? Quamobrem cui potius literarium opus, quam TIBI nuncupetur, quem & cognitionibus ornatisſimum admirantur artes, ſcientiaeque, & beneficentisſimum experiuntur? Quo enim literas animo complectaris, docet loculentisſime aditus ad TE numquam Sapientibus intercluſus, & glorioſum adhuc memoria praeſentiae Tuae Boerhaavii Muſeum, quod olim Magnus Hoſpes impleveris, cum mores hominum multorum videns urbesque, doctorum Hominum domicilia ita convenires, incertum ut relinqueres, maiori ne eſſent exteri Sapientes TIBI, an TV illis admirationi. Docent novis aucta muneribus, quae Tuo geſtiunt Patrocinio, Athenea

& Bi-

& Bibliothecae, in quibus conlatam undi-que cedro dignam ſupellectilem, in auro, purpuraque triumphare iusſiſti, quo de munificentia Tua ſibi gratulentur illuſtres Sapientum Manes, nullique iam ſordeant amplius quae CAESARI placuerunt. Cumque amplioribus Regni incrementis immutatum nil eſſe volueris, niſi ut pro-deſſe tantum poſſes, quantum velles; hinc altiſſimum quo emines humani generis fa-ſtigium eamdem literis praeſtitit artibus-que dignitatem. Sine itaque, AVGV-STE CAESAR, Tuo ut Nomine geſtiat Opus hoc meum, quo ſi non propria, Tua ſaltem luce, & beneficis radiis efful-geat. Quantus enim per TE operi meo ſplendor adcedat, effari prohibet Tuorum praeſtantia meritorum, quae ſilentium admirantis extorquet, & celebrata ubi-cumque terrarum fama moderationis Tuae, qua magna potius IPSE perficere, quam de TE praedicari, gloriaris. Neque ve-ro me Maieſtatis tantae deterruit adſpe-ctus, quin haec TIBI tenuiſſima conſe-crarem; cum praeſertim auſpicio benefi-centiae Tuae in ampliſſima Piſani Athenei

luce

luce fuerim conſtitutus, quam egregia viventium Patrum praeſens memoria, & mortuorum immortalitati conſecrata ſeries illuſtrat. Faxit interim DEVS Etruriae ut noſtrae TE diuturnum ſervet praeſidium, & dulce decus, CONIVGEMQVE AVGVSTAM, REGIAMQVE SOBOLEM, AVSTRIACAE GENTIS & LOTHARINGICAE laudes impleturam.



PRAEFATIO.

Distracta hinc inde brevi tempore omnia Operis huiusce volumina de nova libri editione contexenda Typographum monuerunt: cui quidem assensi libentissime tum ut hanc illi gratiam facerem, tum ut hac opportunitate nova quaedam atque illa utilissima operi nostro insererentur. Paucis ergo te moror, Amice Lector, nonnulla breviter moniturus ad Operis orthographiam pertinentia; de qua quidem cum quot homines, tot sint sententiae, cum diversitate temporis, opinionumque, diverso voces plurimae scribendi genere exhibitae fuerint, hinc in una eademque voce non eamdem semper scriptionem servavimus, sed variam, prout libuit, diversamque. Cumque exponendarum rerum opportunitate plura saepe ex aliena fide in medium adducantur, quae legentibus admirationem, vel & non raro dubitationem extorqueant; hinc ea omnia ita exposuimus, ut non nostro, sed alieno efferri testimonio moneremus. Hinc frequentes apud nos sunt voces illae, creditur, fer-

fertur, memoratur, *ut ex. gr. cum pag.* 30. *loquimur de Serpente* Tavernieri, *qui puellam* 18. *annos natam devorasse fertur.* De *Operis doctrina, & materie, nil habeo quod addam ulterius. Aequum te iudicem & benevolum supponimus, non malignum censorem & invidum. Si primum induis characterem, non meam porro, sed totius humani generis gratiam tibi tute comparasti : sin vero alterum, in te invidia tua tota retorquetur ; quantumque a primo illo homine erudiri me corrigique glorior, tantum de censoria alterius gravitate strepituque negligens sum & incuriosus. Ceterum editionis huiusce opportunitate specimen addere libuit carminum quorumdam, quibus operis huiusce doctrinam complecti primo animus fuit, ne eo orationis genere nobis difficultatem, legentibus obscuritatem, utrisque vero utilitatem nullam, exinde fieri novissemus. Vale.*

DE

DE VENENO ANIMANTIVM NATVRALI.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

PARS PRIMA.

QUae aut cibi, aut morsus, puncturaeve, aut contactus, aut halitus vi, minima mole viventi corpori inserta, solidorum tonum, texturam, elasticitatem, & cohaesionum, motuumque leges in fluidis ita perturbant, ut vel mortem velocissime utplurimum, vel gravissimos excitent morbos, ea per nos Venena nuncupantur: diximus minima mole; corpora siquidem omnino multa, si magna mole ingerantur, venena sunt.

Venenorum quorumcumque actionem in tres potissimum classes dividunt egregii Scriptores *Jo. Linder*, *&* *Lindestolpius*: in corrosiva scilicet, obstruentia, & narcotica (1), quorum prima classis magna ex parte congruat mineralibus, animalibus secunda, vegetantibus tertia. At si mineralia excipias, quorum fere omnium vis magna ex parte corrosiva est, in minima licet corpuscula divisorum (2), effectus certe qui ex animalium & ve-

A ge-

(1) *Jo. Linder de Venen. in Gen. Exercit. Lugduni Batav.* 1708. *& Lindestolp. de Venen.*

(2) *Io. Henrici Schulze Dissert. cui tit. Mors in olla, seu de damnis ex usu metallicorum culinae vasorum,*

getantium toxico repetuntur, non ad unam duntaxat, sed variam diversamque classem referenda sunt, ut ex diversis tum viventium, tum morientium historiis edocemur.

Licet autem nulla sit nisi in vivente corpore venenorum autoritas, (quatenus sua veneficis adest partibus vis inertiae vi vitae duntaxat in actionem vocanda) ex eo tamen non ita manifesto consequi putem) quae tamen praestantissimorum Scriptorum sententia est) robusta magis a veneno corpora, quam debilia labefactari: Esto enim validior sit vitae vis in robusto corpore, proindeque validior in venena actio; sed & alia in vivente corpore perpendenda vis est, qua corporum actioni contranititur, & reactio nuncupatur; unde in praxi non ita frequenter accidit ut, ceteris paribus, robusta citius ex veneno corpora, quam imbecillia deleantur. Eodem innixi principio nonnulli purgantium quoque ampliores in robustis, quam imbecillibus vires esse docuerunt. Lege, sis, quae de rusticorum temperamento hac in re protulit Ramazzinus (1). At vero purgantium genus, quantitasve, quae molli feminae, aut imbecilli homini exhibita plurimas in eorum intestinis turbas concitat, ceteris paribus, in rustico nec aridum nec inanem habente ventrem primas vix titillat fibras. Neque vero & multa existere negaverim quae in robusto magis, quam imbecilli temperamento vires exerant suas, uti, ex. gr. Mercurius, cuius actio cum a gravitate, & facili summaque globulorum divisibilitate dependeat, a maiori cordis & arteriarum impellentium contractione, iuxta Phisicas proiectorum attrituumque leges, maius virium suarum excipiet incrementum, proindeque plus in robusto aget, quam imbecilli temperamento. Atqui diversa venenorum conditio est; unde experientia rerum magistra compertum est, Animantia validiora diutius cum veneno decertare.

Sed

---

(1) *De Morb. artific. Cap.* 38.

Sed hisce gaudeant Theorici disputationibus, quibus certe nos ea quam nobis ultro demandavimus provincia longius, ut par esset, immorari minime sinit.

Quod ergo veritati maxime consonat illud est, quod scilicet diversa sit in diversis corporibus venenorum vis & facultas; neque enim absoluta illis, uti & medicamentis, inest vis, sed relativa. Ac de Animalium veneno, cum de eo praecipue disseramus, id observatum est, toxicum illud, ceteris paribus, agere in proportione magnitudinis tenuitatisve vivi corporis cui admiscetur (1). Cuius rei causam perquirenti nulla occurrit verosimilior; quam quae ex analogica infertur observatione. Id ergo corporibus fere omnibus, ne veneficis quidem exceptis, commune est, ut iis ampliori fluidi cuiuspiam moli admixtis non solum vires magna ex parte detrahantur, sed & immutentur aliquando, diversaeque fiant. Si itaque latiores in bove, ex. gr. canalium diametros exigua occupat veneni gutta, proindeque liberaliori fluidorum moli inseritur, iam toxici illius vires aliquatenus infringantur necesse est, & in uberrimo humorum circulo veluti diluantur; secus vero eademque semper proportionum lege in corporibus, quibus, minori mole, minor insit humorum copia.

Animalium virus, tum molis suae tenuitate, tum pessimorum affectuum numero & velocitate, minerali & vegetabili veneno plurimum antecellit: unde incredibilis in animalium toxico vigeat necesse est partium subtilitas, volatilitas, expedita agendi vis, miscela cum animantium ceterorum liquidis facillima. Tenuissima ergo veneni moles, & exinde subita, & in universas corporis partes diffusa eiusdem actio, non parti cuipiam actionive corporis, sed vi vitae toti infensa, docent noxias veneni huiusce qualitates exeri in iis maxime partibus,

 quae

(1) *Vid. Magiotti Experim. apud Magalott. Epist. fam.*

quae ignota & prima vitae instrumenta sunt (1), quorum deinde vitio fiat ut ea fluidis labes communicetur, quae sub effectuum potius, quam causarum numero recensenda sit. Vix enim microscopio ipso detegitur tenuis illa & tantis ansam disceptationibus exhibitura liquidi guttula, quam eicit ex. gr. Scorpius; exinde tamen brevi temporis momento motus omnes immutantur. Ea ipsa est actio corporum omnium quae in nervos agunt, quaeque mole parva maximas, easque subitas in corpore convocant tempestates. Et profecto quis distillatam ex. gr. Lauro-cerasi aquam in nervos agere inficietur, quae convulsionibus excitatis mortem fere subitam adducat, quin ulla tamen in internis primisque vitae organis, inspecto cadavere, morbi indicia praeferantur (2)? Nostram quoque fulciunt opinionem quae microscopio Meadius observavit minima viperei succi componentia, vagae nimirum in eo succo salinae particulae crystallinam brevi formam induentes, acutae, nodosae, solidissimae, ad mutuum facile contactum adcedentes, nec ullam longo temporis spatio mutationem subeuntes, proindeque verosimillime adiungendae numero acrium vehementiorum, quae insitae soliditatis praesidio non ita facile immutanda, damnumque diffusura toti corpori tam lethale tam subitum; actionem ergo suam non in fluidis, ut superius innuimus, sed in iis exerant partibus, ex quibus vis vitae coalescit. Neque enim acidum aut alkalicum est, sed urens acerrimum, palato judice, viperae venenum, ut intrepida notat Meadii Philosophia. Viperae scilicet virus

---

(1) *Adnotandum, haec rabiei toxico non convenire, cuius actio non subita, sed lenta est.*

(2) *Physical Experiments upon Brutes &c. by Browne Langrish in Trans. Philos. Quidquid tamen de experimentis iis dicendum sit, plurimi sunt, & fortasse non iniusti, Lauri illius defensores.*

rus aqua dilutum Vir clarissimus degustavit, tentato etiam ab aliis audacter experimento, quorum aliquis puro toxico delibato, linguae inflammationem, dolorem, tumorem sensit trium ferme dierum spatio (1).

Animadvertendum est omnium fere veneficorum animalium dentes, aculeos, ceteraque, quibus illa feriunt, instrumenta aliquantulum curva deprehendi: cuius rei causa a mechanicis desumenda est, edocentibus vi cunei in curvam desinentis magnam fieri virium adcessionem ob acutiores angulos, quos curvae componunt in uno puncto convenientes. Elegantem quoque curvitatis huiusce rationem indicat clariss. Meadius, nimirum ut dentis „ apex parti vulnerandae, cum morsum facit „ vipera, sit perpendicularis, aliter non potuisset cul„ pa situs obliqui respectu partis feriendae, & elevatio„ nis sui capitis, quam in feriendo facit Vipera, vel in „ tantam profunditatem penetrare.

Quae ab animalium veneno profluunt symptomata, pro infectorum animalium diversitate, si agendi spatium excipias, non admodum diversa sunt, & in uno ferme eodemque charactere conspirant: color insuetus, tumor, dolor affectae partis, qui paulatim & vicinas adoritur; cordis anxietas, vomitus, sitis, virium resolutio, pustulae lividae, tremores convulsivi, sudores frigidi, vertigo; mors. Ex hac phaenomenon historia viam sibi patefactam crediderunt, nimium fortasse scientiae suae tribuentes, Philosophi ad explicandam veneni agentis theoriam, mortalibus certe oculis non ita facile conspiciendam. Haec in eam opinionem quosdam adduxerunt ut crederent subitam animalis veneni vim in fluidis potissimum partibus exeri, in quibus ab eius toxici ingressu

vio-

(1) *Vid. infra quae de viperei succi sapore senserint alii. Neque tamen ignotum est alkali quoque esse posse urens acerrimum, uti docet Boeraav. Chemia.*

violenta quaedam humorum concretio exoriretur, non aliter ac ex acidorum quorumdam infuſione in venis uſuvenire deprehendimus; cum & hiſce experimentis convulſione, tremore, frigore, vomitu, lipothymia correpta animantia intereant velociſſime, & mortuorum cadavera concreto ſanguine referta obſerventur (1). At qui delicatiores noverit Medicorum theorias, ſanguinis denſitatem a praeviis cauſis pluribus tanquam effectum deducet, quin & minus, quam vulgo creditur, frequentem profitebitur (2), & grumos hoſce, denſitatemque ſanguinis vel non ita facile lateque in corporibus animalium toxico extinctis Redii teſtimonio (3), & Pariſienſis Academiae (4) reperiet, vel ibi reperiet ubi in cadaveribus plurimis ea convocant inſignia & vetera ampliorum canalium vitia, vel ceſſans aut imminuta vitae actio. Nam quis a riſu ſibi temperet qui garrulos quosdam Chirurgos audierit, obicum a pinguedine, membranulis; fibrae elaſticitate &c. profluentium immemores, tam frequenter craſſitiem ſanguinis impune accuſare, quotieſcumque vel nullus vel difficilis ex inciſa vena ſanguis erumpat, dum tamen eo ipſo momento per infinitos omnino tubulos, eosque ſupra omnem fidem tenuiſſimos, ille ipſe ſanguis incredibili facilique velocitate circumfertur?

Cum autem vulgari adagio quot homines tot ſint ſententiae, hinc vix illas Medicorum opiniones perceperis, qui ex animalium veneno fluida concreſcere, denſarique doceant, totidem ex alia parte reperies (quae humanae rationis infelix diſcordia eſt) qui eo

ipſo

---

(1) *Cours de Chymie par M. Lemery &c.*

(2) *I. A. Goesling de Spiſſitudine ſanguinis multis in morbis temere accuſata. Gotting.* 1747.

(3) *Oſſervazioni intorno alle Vipere.*

(4) *Memoires pour l'annee* 1737.

ipſo veneno fluida diſſolvi contendant. Quorum documenta ſatis ſuperque ab expoſita phaenomenon hiſtoria refelluntur.

Neque defuere qui lethalem ſanguinis inflammationem ex animalium veneno, exindeque mortem conſequi docuerunt. Quibus opponitur in plurimis ex ea labe cadaveribus non obſervata phlogoſis, neque trium aut quatuor minutorum ſpatio ſuſcitanda ſubito lethalis inflammatio, neque febris aliquando ullius praeſentia, aliaque huiuſmodi, quae cum non ſemper adſint, dubitandi anſam relinquunt aliquando duntaxat, rarius licet, variaque morbi hiſtoria, neque ab omnibus, ſed a quibusdam ſolummodo veneficis animantibus lethalem ex eorum toxico, neque adeo ſubitam inflammationem, exindeque mortem conſequi potuiſſe.

Friderici Hoffmanni Medicina, quae atonia & ſpaſmo tota ferme innititur, veneni huius actionem ad ſpaſmum refert (1); at neque unam a tam diverſis animalibus actionem ſemper exeri manifeſtum eſt, neque infectos omnes per ſpaſmum interire.

Silentio praetermittere nos adhortatur amica brevitas innumera pene ab autoribus excogitata de veneni actione ſyſtemata, a quibus aut ſubita humorum putredo, aut ſingularis ſpirituum in furorem agitatio, aut neſcio quae militaris acidi alkalique pugna, aliaque huiusmodi in ſcenam adducta ſunt: quae omnia ceteroquin dictu facillima, & perſonatae cuiusdam Phyſicae luxum redolentia, obſcuras tamen rerum plurimarum ideas involvunt, & neque explicari facile poſſunt, nec animalium veneni phaenomenis omnibus adcommodari.

Dicendum itaque eſt, ea quae ſapientem decet definitae humanae ſcientiae memoria, quod cum plurima Phy-

(1) *Hoffman. Medic. ſyſtemat. de Venen. eorumq. nat. &c. part. II. cap. I. Edit. Genev. 1747.*

Physicae phaenomena occupationem hominum pessimam fecerit Deus, tum hanc potissimum alta nocte obrutam veneni actionem (1) in profundo Democriti puteo Natura collocaverit. A nobis certe modestam diligentibus Philosophiam faciles non praebentur aures iis, qui altisonis vocum terminis dogmatice tanquam e cathedra definiendo, interpretatione rerum, quae sensus mentisque vires fugiunt, pulmones exonerant, & erudite delirant. Quod si nihil certi asserendo nullam exinde Philosophicae menti voluptatem conciliari quis obiciat, sciat is amplissimam ex negativis quoque veritatibus menti lucem adcedere, nihilque vel cogitantem vel agentem hominem adeo sustinere, ac difficillima cognitio scientiae simul & ignorantiae suae. Multis quippe tenebris obducta undique veritas est, quas qui noverit sapiens, qui sustulerit vere felix; qui sustulisse iactaverit, vel insanus, vel cogitantis animae suae nimius aestimator. Num ergo tenebras hasce profiteri nos pudeat, qui ea in re illustres exhibere possumus duces, autoresque, de quorum laudibus doctrinaque nulla unquam aetas conticescet? Neque enim ignorantiae nota deturpatum se censuit sincerus ille, & iteratis unice fidens experimentis Franciscus Redius, dum Magalotto suo viperei toxici actionem ignotam sibi esse profitetur (2). Neque meningibus suis adeo fidens Baglivius, & in explicandis per oscillantem fibram vitae mortisque phaenomenis alibi tam facilis, dum Medicos in rei huiusce perquisitione detentos vigiliis abstinere monet suis (3). Ne-

(1) *Cum venenum dicimus, de animalium veneno loquimur semper: nam ex vegetantibus multa, ex mineralibus fere omnia actionem praeseferunt facile intelligendam.*

(2) *Osservazioni intorno alle Vipere pag. 42. Ediz. di Firenze 1686.*

(3) *Dissert. de Tarant. Cap. XII.*

Neque nomini suo labem offudit Boheraavius qui venena haec neque explicato effectu, aut virtute hactenus bene nota nuncupavit (1). Neque certe venenorum effectus inspicere, aut vires dignoscere, causasve perscrutari facile opus est, & in tanta rerum Physicarum luce velocius expectandum, cum in subtilissima, libera, volatili, periculosa materie lateat veneni vis, atque pernicies.

Praestat itaque neglecta rei obscurissimae intelligentia vim illam pene singularem perpendere, quae a corporibus plurimis ceteroquin innoxiis duntaxat exeritur, si per venas sanguini protinus admiscentur. Ea nos observatio ad infusoria medicinae experimenta compellet, cum praesertim & eorumdem morborum communionem ex morbosi humoris in venis infusione, & tam diversorum effectuum historiam ex infusis in venas medicamentis agnoverimus, & inutiles nutrientium infusionum effectus, efficaces purgantium (2), & infinita prorsus esse corpora quae, alias innoxia, per venas infusa venena sint, in quorum numero & lethalis ille animalium succus reponendus est nonnisi per subitam sanguini affusionem pertimescendus. Nullius enim periculi res est si per stomachum & intestina viventi corpori inseratur; nam quae cibi potusve nomine desumuntur funesti exitus venena, a minerali potissimum regno & vegetabili deprompta sunt. Atque a mineralibus quidem, vi acerrima solidarum partium ea constituentium, subita horridaque quod insurgant symptomata, nullam fecit admirationem; sed ea, quae supra mineralia ipsa in vegetantibus quibusdam observatur nocendi vis, omnium certe fefellit expectationem. Qua in re confirmanda si ea duntaxat perpendamus quae de simplicis aquae a foliis Lauro-cerasi distillatae in Philoso-

 phicis

(1) *Instit. Medic. n.* 1144. *ubi de Antidot.*

(2) *Nouvelle Chirurg. d' Etmuller avec une dissert. sur l' infusion &c.*

phicis Transactionibus exponuntur, in eam facile sententiam adducemur, existere in vegetantibus nonnullis incredibilis omnino & singularis veneni qualitates: nam vel unius horae intervallo vix elapso ea per stomachum fortuito desumpta, homines plurimi, quodque singulare est, sine vomitu, sine purgatione, sine ulla convulsionis nota perierunt; canes vero, aliaque eiusmodi animantia extincta vix octo minutorum spatio convulsa, motuque corporis destituta, nullam neque in ventriculo ipso mortis causam dissecta praetulerunt (1). Omitto quae de succo ex arboris innominatae trunco refert Hamiltonus (2), cuius potentes guttae venatorum relevant lassitudinem stomacho desumptae, venis infusae mortem cient; nam de oleo tabaci octava horae parte belluas quasdam interficientis loquendum non est, cum tamen hominum vulneribus impune succus adponitur, quin & remedii loco est (3): quod & de aqua Lauro-cerasi supra memorata usuvenire didicimus. Postremo quam virulentos contactu ipso effectus praestent vegetantia docet historia Ladislai (4) ut plures alias brevitatis gratia praetermittam. Et

---

(1) *The simple Laurel water found to be a dangerous poison &c. Trans. Phil. num.* 418. *pag.* 84. *& num.* 420. *pag.* 163.

(2) *Descrizione del Regno di Siam.*

(3) *Esper. natur. del Redi, Edizione di Firenze* 1686. *pag.* 6. *&* 34,

(4) *Lancellottum, vel Ladislaum Regem Neapolit. perdidit puella, quae uncta vagina unguento ex succo napelli cum Rege congressa est: quo unguento mutuum excitari amorem, filiae indicaverat puellae genitor Medicus auro a Florentinis seductus: eo unguento & puella obiit. Collenuz. Ist. Napolit. lib.* 5. *Ammirato &c. Montaigne Essais liv.* II. *chap.* 33. *Ladislaus Roy de Na-*

Et quamvis adeo noxium negent aliqui napelli ſuccum, tamen id aliaque fiunt pro coeli diverſitate. Quod enim in Vplandia ex. gr. oritur napellum vix hora una cum dimidio hominem ſuffert Moraei autoritate (1). Poſtremo quam ſingulares ſunt de vegetantium quorumdam veneno Linnei & Sauvagii obſervationes (2)!

Sed ad noſtrum revertimur inſtitutum, nullamque aſſumpto per fauces animalium veneno noxam ineſſe

---

Naples, bon Capitaine, courageux &c. ayant rangé par un ſiege bien pourſuivi la Ville de Florence ſi a deſtroit que les habitans etoient apres a compoſer de ſa victoire, il la leur quitta, pourveu qu' ils lui delivraſſent une fille de leur ville, de quoy il avoit ouy parler de beauté excellente. Force fut de garentir la publique ruine par une iniure privée. Elle etoit fille d' un Medecin fameux, qui ſe trouvant engagè en ſi vilaine neceſſitè, il lui donna un mouchoir exquis en ſenteur & en ouvrage, du quel elle eut a ſe ſervir en leurs premiers approches .... ce mouchoir empoiſonnè ſelon la capacité de ſon art, venant a ſe frotter a ces chairs eſmeües & pores ouverts, inſpira ſon venin ſi promptement, qu' ayant ſoudain changè leur ſueur chaude en froide, ils expirerent entre le bras l' un de l' autre. Ex quo veroſimilius videtur quod ab hiſtoricis ſupra hauſimus.

(1) *Dans les Memoir. de l' Acad. R. des Sciences de Svede &c. Tom.* 1. *Vid. & Wepfer. de Cicut. aq. & Tranſact. Philoſ. an.* 1744. *num.* 473.

(2) *In Monument. Acad. R. Scient. anni* 1739. *Mr. Sauvage de la Croix parle de quelques plantes venimeuſes, & il remarque avec Mr. Linneus, que les ieunes pouſſes des certaines plantes tres venimeuſes ſont ſalutaires, pendant que les fruits & les vieilles feuilles ſont un poiſon violent &c.*

confirmaturi, notissima omnibus experimenta praetermittimus, neque impavidam eruditorum gulam animalium virus audacter absorbentem exhibemus, horridum insipientum oculis spectaculum, neque Medicos viperae, aliorumque eiusmodi animantium usus, vel pretiosas ex sola vipera Nigritarum dapes (1), neque per gelidas Redii experimentorum reliquias Philosophica liberalitate tuto sublevatam pauperum famem. Quin & quorumdam sententia, cum veneno tincti gladii teneras mollesque reddant animantium carnes, hinc in Alpibus gladiis hisce dissectae contusaeque a venatoribus volucres, ad uberiores gulae delicias impune devorantur (2); nisi fortasse quod ex venefico succo pretium carnibus adcedit, imaginaria duntaxat gulae voluptas est, Apicium non habitura consentientem.

Innoxiam hanc veneni per stomachum & intestina sanguinem ingressi facultatem veteribus etiam innotuisse, patet autoritate Celsi asserentis Serpentum venenum non gustu nocere, sed vulnere (3). Invicto etiam Catoni per-

---

(1) *Lopes Relation du Royaume de Congo.*

(2) *Jo. Jacobi Wepferi Cic. aquat. hist. & Thuan. hist. ubi asseritur inter Alpinos gallinas volucres &c. cultellis napelli succo tinctis sub alis figi, iisque ita occisis carnes reddi molliores, & hospitibus impune comedendas adponi. Vel ergo molliores fiunt vulnere & contusione carnes, vel si aliquid praestat venenorum succus, id praestat vi volatili & caustica, qua morientium volucrum humores agitando, solidaque corrodendo, atterendoque, ad dissolutionem disponit, & putredinem alkalinam. Nihil enim aliud est comendendarum carnium, ut aiunt, maceratio, quam prima illa dispositio ad resolutionem, quam vel temporis spatio, vel externa vi partes inter se fermentescentes concipiunt, legibus libere relictae suis.*

(3) *Cels. lib. v. cap. 7.*

perſpectum id fuiſſe, manifeſtum eſt ex hiſtoria referente, Pompeii milites ſiti incredibili correptos, & aquam cui ſerpentes inerant aridis licet faucibus reſpuentes, eius oratione ab eo mentis errore avocatos (1). Cur autem humoribus per aperta canalium orificia inſertum adeo perniciofum ſit animantium virus, quod cibi potusve forma deſumptum nocentes deſerit qualitates, docent rei medicae Scriptores. Dentium quippe vi, deinde ventriculi, inteſtinorum, lactearum actione, humorum ubique occurrentium unione multiplici, ita immutantur omnes non ſolum veneni, ſed & corporis cuiusque partes, ut diverſam prorſus indolem, naturamque ſuſcipiant. Omnibus porro antiquioris aetatis ſcriptoribus palmam ſuſtuliſſe Galenum reor, & prudenter ea de re, cauteque cogitaſſe, qui venena non ſtomacho ſolum, ſed & externae cuti adpoſita ab omni periculi ſuſpicione non abſolvit, licet ab eorumdem ſubito in ſanguinem ingreſſu primum adeſſe periculum fateatur (2). Et ſane quod animalium venena morſu exitium ferant, tanti non eſt ut aliis quandoque & ſingularibus omnino formis nocere non poſſe arbitremur. Rei huiuſce veritatem ſatis ſuperque confirmat, alia ut exempla ſileam, vulgaris illa mulier araneas ante ſomni horam noctibus ſingulis tanta cum voluptate comburens, & a conflagrata cum ſtrepitu in ſebacea candela aranea, & diſſiliente ad eius oculos & labra venefico halitu pertinaci unius oculi ophthalmia correpta, inflamatione ſumma linguae, gingivarum, labrorum, vomitu &c. nec niſi poſt dies plures valetudini reſtituta (3). Et apud Boyleum Nicolaus Florentinus (4), a Sen-

(1) *Lucanus de Bello Pharſalico, lib. 9.*

(2) *De Temperam. lib. 3. cap. 2.*

(3) *Dictionaire Univerſel de Medecine &c. Tom. 2. a Paris 1746.*

(4) *Boyle Op. Tom. I. pag. 667. Edit. Venet. 1697.*

a Sennerto in rei fidem adductus, de homine quodam refert, qui cum ingentem araneum candelae ardentis igni exposuisset, halitumque naribus attraxisset, in vehementissima animi deliquia prolapsus est, totaque deinde nocte circa praecordia male affectus, pulsu languido, & comprimentium digitis vix manifesto, neque nisi difficillime, longoque temporis intervallo theriacae, diamosci, & zedoariae beneficio convaluit.

Neque adeo tuta fide, ut asserunt quidam, ab erroris nota eos absolverem, qui animalium venenum contactu nocere minime posse docuerunt. Finge enim nudae cuti veneficus viperae succus adponatur: si hiantes ibi adsunt pori, si absorbentium canalium par sit elasticitas, si vi externi caloris internive rara admodum cutis &c. non mediocris certe periculi res est. Nonne enim, analogico argumento, omnia externae corporis superficiei adposita, quin & contagiosa effluvia eorum facilius humores pervadunt, qui motu corporis, aliave de causa patentem sibi cutem effecerunt (1)? Nonne multae apud Medicos occurrunt historiae morbi ex contrectata morbosa materie suscepti, cuius tamen suscipiendi diversa esset naturalis communisque conditio? Quae de externa cute a me dicta sunt, & ad internam referri possunt: quamvis autem veneficum succum impune hauserint nonnulli, & toxico vires detrahantur admixtione humorum in gulae, ventriculi, intestinorum superficie emanantium, tamen periculosae plenum opus aleae est ea semper innoxia praedicare: siquidem non leve detrimentum exoriri potest ubicumque absorbentium venularum hiant oscula, nec immutatio fit toxici partium in sanguinem migraturi, quae in primis solum viis facile contingit immuta-

ta-

(1) *Vid. Rondinelli Descrizione della Peste di Firenze del* 1633. *pag.* 176.

tatio (1). De ſana cute ſermonem huc usque inſtituimus : nam de ea, in qua ulceris, contuſionis, & ſimilium praeſentia continui ſolutionem facit, nulla quaeſtio eſt, cum pateant illic conſumpta venularum orificia, proindeque ſubito virus ingreſſui expeditum ſit iter, apertumque. Torpedinis etiam hiſtoria in eam nos cognitionem adducit, quod exiſtant ſcilicet animalia per ſimplicem contactum venefica. Cognitionis huiuſce incrementum ſuppeditat quod exaggerati fortaſſe portenti nomine de aranea ſoleas penetrante ex Scaligero refert Boyleus, quodque memoriae poſterorum protulit Piſo de Nhamdù, ingenti ſcilicet in America araneo, qui intuentium oculos, ſi in iis venenum iaculetur, luce privat. Quid quod & in Iavae Relatione inſectum quodpiam deſcribit Salmonius (2) Yakko nuncupatum, Tarantulae ſimile, cuius urina corpori adpoſita, ni pars illa vel incendatur protinus, vel diſſecetur, gangrenam inducit: urina ne illa ſit, an alter ex diverſo fonte profluens liquor, dubitandi locus eſt. Quod autem Yakko ſuum inſectum, ſerpentemve nuncupet Salmonius, luculenter indicat male ab eo cum tarantula comparari, quae araneorum claſſem occupat, niſi fortaſſe de vulgari ſtellione loqui maluit, quem etiam cum ſerpente nullo modo confunderet naturalis hiſtoriae peritus. At nulla pro venefici contactus exiſtentia luculentior hiſtoria eſt, quam quae a Coupleto in Actis Pariſienſibus exhibetur (3). Ibi de angue ſermo eſt, cuius vel mortui contactus cutaneos morbos facere dicitur apud Braſilienſes. Id ergo inauditum & incredibile, ſubita timidorum hominum fide receptum iudi-

---

(1) *Vid. ubi de rabie per infectae ſalivae contactum collata, & quae ſupra attulimus incommoda ex delibato ab Anglis Philoſophis vipereo ſucco.*

(2) *Storia di tutti i Popoli Tom. III.*

(3) *Memoires de l' Acad. R. pour l' année* 1700.

iudicans Coupletus, mortuorum anguium audacter instituit anatomiam; at Philosophicae dubitationis poenas dedit, vix tribus a contactu noctibus pustulis undique refertus, quae trium mensium spatio pertinaces obsisterent. Habemus & in vegetantium regno arbusculi cuiusdam in nova Anglia nascentis historiam (1) solo contactu diuturnam coecitatem, incredibilem frigoris sensum, pruritum, inflationem corporis, aliaque non lethalia tamen symptomata concitantis (2). Quid enim de singulari herbae illius vi dicendum est, quae mirabili sane proprietate, de qua sua sit unicuique sententia, conspersas eius succo manus illaesas relinquit, dum manus alias ab iis contrectatas, & vel corpus aliquid tangentes, vel tabacum naso propinantes, veneno inficit in corpus totum subito transituro (3)?

Quae

---

(1) *An account of the poison wood-tre in new England by M. Dudley and by D. William Sherard. Philos. Transact. num.* 367. *pag.* 145. *&* 147.

(2) *Eius arboris genus quodpiam Sherardus esse putat arborem Americanam alatis foliis succo lacteo venenato: Pluknet. Almag.* 45. *tab.* 145. *fig.* 1. *& in Opusculis Josephi del Papa, sopra gli effetti d' una certa vernice d' India.*

(3) *Vid. le Voyage a la côte d' Angola en* 1738. *de M. de la Brosse, cuius verba adducit clariss. Bouffonius Hist. nat. general. & partic. tom.* 3. *pag.* 465. . . . . *Il vint sept ou huit Negres en Palanquins, qui etoient les principaux de Lowango qui leur (aux Officiers Francois & Anglois) presenterent la main pour les salüer: ces Negres avoient frotté leurs mains avec une herbe, qui est un poison tres subtil, & qui agit dans l' instant, lorsque malheureusement on touche quelque chose, ou que l' on prend du tabac, sans s' etre auparavant*

lavè

Quae huc usque exposuimus tanti non sunt, ut animantium detrahant existentiae, quorum & comesae carnes venena sint. Id vero naturalis historiae studio compertum est, quod ea fere omnia quae morsu nocent animantia, in cibum assumpta innoxia sint, quae nocent in cibum assumpta, morsu sint innoxia; nam apud Iaponenses vitae pertaesos Furube comestio (1) violentae in se ipsos manus loco est. Quin Salmonii eiusdem testimonio lepram nostris hisce temporibus in Hibernia raram, frequentissimam olim reddidit Salmonis comestio, qui dum ova deponit male se habet, vesicisque & nigris maculis informem praefert cutem, cuiusmodi vitio comedentes inficit. Postremo ignota nemini sunt aliquando perniciosa ex Barbi ovis ventris tormina, diarrheae, convulsiones.

Ex quibus deduci potest, non adeo a verosimilitudine alienam fuisse Listeri dubitationem (2), qui Senembi seu Higoanas (3) in exquisitioribus Americanae gulae deliciis habitas, veluti principem Gallicae luis apud

C In-

---

lavè les mains. Ces negres reussirent si bien dans leurs mauvais desseins, qu' il mourut sur le champ cinq Capitaines, & trois Chirurgiens &c.

(1) *Il Pesce detto Furube, cioè gonfiatore, perchè tanto si gonfia, che sembra una palla, mangiatosi non ben nettato, il che è difficilissimo, è mortifero. I Giapponesi quando si uccidono volontariamente si cibano di esso, e muoiono con vomito e convulsioni. Salmon Ist. del Giappone.*

(2) *Exercit. de Lue Vener.*

(3) *Sic apud Indos audit lacertus niger venalis publice delicatissimi cibi nomine: cuius descriptionem & figuram vide, sis, apud Georgium Margravium de Liebstad: Hist. rer. natur. Brasil. lib. vi. cap. xi. & Albertum Seba stellionum diversi generis ferme 80. descriptorem; locuplet. rer. natur. thesauri descript. tom. 1.*

Indos originem accusavit. Esto enim, (quamvis illius cibi usu dolores venereos praesentes augeri, aut male sopitos vehementer recrudescere observaverit Consalvus Fernandez ab Oviedo (1),) esto, inquam, ad fabulas amandanda sit opinio illa, cum Europaeos amaram fraudulentae Veneris dulcedinem perosos, higoanis licet bene pastos, nulla lues invaderet; tamen & analogica animantium cibi loco assumptorum, morbosque parientium historia, & Consalvi, tenuis licet in hac re comprobanda momenti observatio, de ea Endemii in America morbi origine suspicionem facere jure optimo potuerunt, eoque magis si veritatem redolet quod a nonnullis asseritur, Veneream nempe luem apud Americanos sine ullo infectae mulieris commercio suscitari (2). Eorum itaque improbanda potius est ratiocinatio, qui ut Listerum refellerent, eo innixi principio quod animantia veneno instructa morsu duntaxat noceant, lacertarum serpentum higoanae ipsius inter veneficas bestias habitae carnes, in cibi usum veluti necessario innoxias traduxerunt, proindeque Americanae lui pariendae impares: cum ceteroquin familiare sit Listero difficilem novorum morborum originem veneficarum bestiolarum comestioni, aut morsui tribuere (3).

Vigente hyeme, quin & sub coelo minus fervido, animalia veneno latent imbecilli diminutoque, quod lentiori per hyemem in brutis hisce fluidorum motui tribuendum est, & inerti languidaeque hyberna tempestate eorum corporis constitutioni, vel inopiae caloris, a quo acriora reddi innoxia etiam corpora quaedam; ostendit Chymica. Ea porro de causa animalium in furorem actorum toxico novae licet fortasse vires adcedant, fabulam ta-

(1) *Hist. Ind. lib. 13. cap. 3.*

(2) *Sydhenam Epist. 11. Respons. Henrico Paman M. D. inscripta.*

(3) *Listerus Tract. de Variol.*

tamen redolere censemus quod nulla sit nisi in irritatis animantibus veneni vis, cum & viperae tranquilla morte extinctae dentes venefico succo perfusi, & alia quaecumque lethali illo liquido conspersa corpora, quin & ex eodem succo paratus pulvis eumdem praestet effectum. Neque tamen inficiari volumus plurimas irritatorum animalium succo vires adcedere, cum ex ira caloris motusque fiat incrementum, & ab exponenda alibi rerum serie pateat atrocissimum rabiei toxicum ab ira duntaxat aliquando exortum fuisse. Quae omnia veteres adduxerunt, eorumque vestigia insecutos recentiores plures, ut in animalium felle virus constituerint, vel ex ea parte ad fauces, imaginario licet tramite, separari crediderint (1).

Neque calor, aut ira duntaxat, sed & fames novum animalibus veneni praestat incrementum; unde ieiuna vipera periculosius dicitur iaculari toxicum. Id vero quamvis expositae superius doctrinae opponi videatur, cum minor esse censeatur calor in ieiunis animantibus, tamen mirum est quanto illam confirmet evidentius. Nam ex longiori fame vergunt humores in alkalescentiam volatilem, & roscido chyli recentis appulsu, atque humectatione destituti sales, acriaque omnia, non immutatis fluidis admixta, vehementiorem nanciscuntur actionem. Hisce omnibus addi potest, quod cum ieiuna hominis saliva manifesto gulae sensu linguam vellicet violentius, tum in fluido quopiam ex salivalium genere plurimorum animantium virus constituatur.

Cum vero tantam veneno componendo ansam caloris praesentia suppeditari dixerimus, hinc quae animantibus huiusmodi destitutae dicuntur terraquei globi partes, vel eo carent adiumento caloris, qui virus efficiendi capax sit, vel peculiaria bestiis hisce negant alimenta,

 vel

(1) *Scheuchzer Physique Sacrée Tom. 3. 5. & alibi.*

vel iis abundant effluviis, quae mechanicae illarum constitutioni opponantur. Eo beneficae sortis munere ditatas esse Australes plagas affirmant qui terras illas perlustrarunt (1); si modo eorumdem autoritas tutam a nobis extorquet fidem. Hiberniam certe, quae regionum ceterarum ea in re felicissima perhibetur, peculiaris insecti venefici veluti matrem exhibuit Willelmus Molineux. At Ozanam testimonio non veneficae solum, sed neque minoribus noxiae damnis bestiae eo in regno ullae sunt, vulpe excepta, lupoque (2). Schetlandiam quoque insulam Scotiae proximam nullas complecti veneficas bestias testatur Prestonius (3). Uti vero terris quibusdam virulentas feras negasse dicitur Natura, sic & in aliis veneficas esse iussit, quae alibi innoxiae sunt. Hinc a verosimilitudine alienum non est, in Brasilia pisciculos, ranasque vivere praeter opinionem venenatas (4).

Insitum sibi a natura venenum impune servant animantia: suis tamen sibi caveant a morsibus necesse est, quos si vel irae, vel fortuiti casus culpa susceperint, de eorumdem vita actum est. Docent id a Philosophis observata scorpionum invicem, aut araneorum certamina, & cau-

(1) *Vid. Les Aventures de Jaques Sadeur dans la decouverte & le voyage de la Terre Australe &c. a Paris* 1692.

(2) *Ozanam, Recreations Mathematiq. & Physiq. Tom.* 3. *Edit. Paris*. 1741. *pag*. 228. ibi etiam legitur: *Il y a prés de Grenoble une vieille Tour située sur une montaigne que le comun appelle Tour Saint Verin, pour dire, Tour sans venin, ou il ne croit ni serpens, ni araignées, ni aucun autre animal venimeux . . . . ceux qu' on y a portez, n' y ont pû vivre long tems*.

(3) *Trans. Philosoph. for the year* 1744. *n.* 473.

(4) *Gugliel. Piso in Hist. Nat. Brasil. Lugduni Batav.* 1648.

& caudiſona ſerpens minutis vix octo extincta, cum dentes in ſe ipſam ſuos violenta neceſſitate converteret (1). At quae animantia naturaliter innoxia, venefici morſus, vel interioris morbi vitio venenum adepta ſunt, eiusmodi nunquam impune geſtant venenum, ut in parte Operis altera perſpiciemus.

A ſanguinolento minus, quam a ſicco vulnere pertimeſcendum; qui enim effluit ex laceratis canalibus copioſus ſanguis, infundendo per morſum liquido viam negat, ſecumque in effluxum rapit. Minor etiam aliquando vis ineſt animantibus, quam quae ad imprimendos morſus, dentesque altius infigendos requiritur, vel aridi, repetito morſu, ſiccique dentes ipſi fiunt, glandulaeque ſecernentes, quae omnia tentandis ea in re experimentis diligenter animadvertenda ſunt. Diſperſus in animantibus multiplici de cauſa veneficus liquor, aliquas poſt horas iterum iis, & ſine nova cibi neceſſitate reſtituitur. Difficillima autem, & in eo effectu conſpirantium cauſarum varietate diverſa facile eſſet obſervatio, quoto horarum, dierumve ſpatio vipera ex. gr. nova fatalis ſucci ſeparatione novas nocendi vires aſſumat. Tardas certe in ea fieri humorum omnium ſecretiones, actionesque confirmat craſſa viſcoſaque illius textura, qua non ſolum diuturno per octo menſes novemque reſiſtit ieiunio, ſed & in ipſa machina pneumatica difficilius extinguitur, & nocentium humano corpori ſalium vires moderatur (2), ſuccorumque iacturam cohibet ad nutritionem conferentium; unde a nonnullis adeo viperae carnes in medicos uſus efferuntur.

Ex quibus patet primo, quî nam ventoſi circulatores falſis antidotis pretium conciliaturi, ſublato animantium

(1) *Tranſact. Philoſophiques*.

(2) *Eliae Camerar. Diſſert. Taurin. Epiſt. Tubingae* 1712.

tium toxico, eorum morsus impune suscipiant, & insipientiae vulgi admirantis illudant. Patet secundo quod actionem remedii cuiuspiam certo affirmare non liceat, nisi manifesto constet de infecto per venenum corpore.

Nostri officii non erit in anatomica veneficorum animantium descriptione immorari. Nam ut antiquiores omittam, facem in hac re plurimam praeferunt unicuique Rondeletius, Gesnerus, Raius, Aldovrandus, Moufetus, aliique, ut recentissimos plures omittam. Quid quod ad percipiendam venenorum doctrinam, primae duntaxat necessitatis est anatomica instrumenti toxicum vel separantis, vel eicientis historia. Neque tot quae apud veteres de animalibus hisce fusius occurrunt portenta referemus, venerandae licet Antiquitatis cultores nos esse gloriemur, cujus studio & observatione prima nobis ad veritatem, & errorem (quae humanae scientiae singularis concordia est) patuit via. Sed ea omnia vel perpetuo posterorum ad nos usque succedentium experimento confirmata sunt, vel ad securiorem veritatis frugem revocata; quae enim ab observatione profluit scientia, longiori saeculorum serie fit accuratior, & orbis huiusce terrarum haec ipsa, in qua vivimus, ulteriusque semper futura aetas senectus appellanda est, nosque ipsi potius antiquiores, si cum iis comparemur, qui remotis antea saeculis, mundo adolescente, vixerunt (1). Neque certe non spernendae sunt veterum de veneficis animantibus historiae, nisi quod alienam facile praeseferunt fidem, vel tenuem rudis anatomiae doctrinam, vel superstitiosae relligionis vitium, vel physicorum instrumentorum inopiam, vel insitam perpetuo Philosophis paupertatem; unde Aristoteli saltem vitio vertendum est, quod accuratiora multo non exhibuerit, cui in perscrutandis Naturae miraculis, doctrinaque hilarius comparanda, splendidam

(1) *Fontenelle sur les Anciens & les Modernes.*

didam tot talentorum facem praetulit Alexandro auditore digna liberalitas.

Veneficorum animalium historiam pervolventi plura occurrunt apud Scriptores eiusmodi animantium nomina, Stellio, Scolopendra, Bufo, aliaque, quae dubiam nocendi vim sortita sint. Ita ex. gr. pulmonibus infensi leporis marini nomine contremisces (1), & elegans affluente caesarie caput Salamandrae contactu repente calvum admirabere (2). Qua in re animadvertendum, damnandos semper eos non esse qui ita senserunt, cum diversa terrarum constitutione fiat, ut alicubi virus exeratur in animantibus, quod alibi nullum est, vel facili variarum rerum aut animantium laesorum opportunitate, si non lethales, tamen non certe innoxii insperato assurgant effectus; quod adductae superius exemplo Salamandrae confirmatur, quam velut innoxiam recentiores plurimi jure optimo descripserunt, cum revera sub omni ferme coelo innoxia illa sit. Apud nos tamen in Etruria, in monte, quem Murellum vocant, Salamandrae quaedam sunt rufi coloris, purpurei sub ventre, quae punctis bo-

---

(1) *Tozzi de Febrib. mal. pag. 576. Fernel. &c.*

(2) *Mercurial. de morb. cutan. lib. 1. cap. 30. De Salamandra Q. Serenus*

Seu Salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu deiecit honorem.

At hisce saeculis nullam habuit fidem Salamandrae virus, de quo vide multa & egregia Maupertusii experimenta in Memoriis Acad. Reg. Scientiarum anni 1727. pag. 28. ibiq. oviparas simul eas esse & viviparas: guttas veluti lacteas emanantes a tota superficie Salamandrae flammis iniectae nullum eius mortis velocitati facere obicem, quae vulgaris fuit opinio &c.

boum labris mortem ferant. Quod & apud Petrasanctenses frequens esse accepimus.

Quae ex veneficis animantibus percipiuntur magni momenti incommoda, desumptis ex eorum corpore remediis aliqua ex parte sublevari, faciles quidam asseruere: quibus & me libenti animo socium darem, si quam certa scientia animalium illorum venena operari perspicimus, ea & remedia agere nosceremus. Plinio nimirum uni, diversa licet rerum contemplatione, liceat exclamare: non est fateri, rerum Natura largius mala, an remedia genuerit (1). Veneficis eadem lex est tum mineralibus, tum vegetantibus, ex quibus uti determinata quadam ratione desumptis corporis pernicies, ita & diversa salus hauriri dicitur. De animalibus itaque locuturi emplastrum διάσπίδων, seu ex aspidibus parandum, primo exhibemus, tophaceis scirrosisque, Deo annuente, tumoribus dissolvendis commendatum (2), oleumque aspidis Geoffroyanum, quod excellens, magnique nominis Chimicus ille describit (3). Aranearum carnes, telaeque in febribus, haemorrhagiis, dolore aurium &c. summis praedicantur elogiis a Dioscoride (4), Listero, Celso (5). Adstringens telarum araneae proprietas multis, iisque doctissimis Petiti Medici confirmatur experimentis (6). Detersiva, dissolvens, diuretica pulveris ex bufone calcinato vis occurrit apud Vanhelmontium, Etmullerum, Vallisnerium. De bufonite lapide, qui veneno praesente, ut

---

(1) *Lib. VIII. cap* 35.

(2) *Aetius Tetrab.* IV. *Serm.* 3.

(3) *Geoffroy Junior. Observ. Memoir. de l' Ac. R.* 1716.

(4) *Lib. II. cap.* 68.

(5) *Vid. Heucher. dissert. de aranea homini perniciosa & salutari. Rieger Introduct. ad notit. rer. natural. Tom.* 1. *pag.* 852.

(6) *Memoir. de l' Ac. R. pour l' an.* 1732. *pag.* 37.

ut ita dixerim, sudare, & colorem variare dicitur, acertime decertatum est. Cum vero de illius origine sermo est, incredibile in quantas Medici sententias, turbasque distrahantur; nam illi cunas veluti suas, bufonum caput alii tradiderunt, alii unum idemque cum bufonis cranio esse contendunt, alii lapidem fossilem, alii animantium aliorum partes alias. Adeo vel in tenuibus exultat de hominum salute sollicita Medicina! Quid autem de bupreste dixerim, ad eicienda menstrua, deque iis, quae ex stellione, & salamandra parantur, imperiosae autoritatis medicamentis (1)? De vipera alibi: nam tot remediorum spectaculo, quod felix faustumque sit, nimis iam aegros homines exhilaramus, imparem certe ostentationi tantae fidem servaturi.

Si quid autem est quod hominem deprimat suis omnia usibus inservire iactantem, illud profecto est veneficorum animalium existentia. Nam cui tandem hominis vel commodo, vel ornamento ea corpora designentur, quae hominis ipsius vitam periculo metuque faciant refertissimam? Quae ea de causa a me dicta sunt, ut de animalibus veneno praeditis sermonem instituens, neque disputationem illam omitterem, quae ociosis quibusdam scriptoribus adeo est in deliciis, quem nempe in hoc orbe terrarum usum eiusmodi animalia praestarent? Qui itaque de hominum natura ac dignitate fortasse nimis praeclare senserunt, venenum in iis nullo pacto constitutum putarunt ut homini noceat, sed sibi ipsis duntaxat servandis alendisque, cui officio minime sufficerent acuti licet dentes, aliave arma, praedam, seu animalcula, ex quibus vivunt, discindentia, & anatomico examine in hunc usum manifesto constructa, sed & lethalem desiderari succum in praeda ipsa, seu animalculis, pro subita illorum nece infundendum. Quid enim de Plinio dixerim in humanum genus adeo misericordi, nullam ut existen-

D tium

(1) *Vid. Lemery Dictionnaire des Drogues.*

tium venenorum causam verosimiliorem invenerit, quam ut facilius vitae se homines subtrahant, si molesta sit? Si ergo terraqueae molis, in qua vivimus, non summa capita, sed partes nos esse meminerimus (1), discedere nos tuto posse sentiemus ab ea, quam doctissimus exhibet Muysius opinione (2), qui omnia vel in hominum scientiam, vel utilitatem, vel & poenam constructa reputans, infensas nobis bestias exoriri voluit in morale documentum, ut nempe Deum & nostrae eumdem felicitatis, & miseriae arbitrum fateremur: cum & sine animalium illorum existentia tot sint, quae in eam nos veritatem vel nolentes perpetuo, facileque compellant; quin & a Derhamio differemus asserente, ad hominem quod spectat, maximam esse veneficorum animantium utilitatem, ad quosdam praecipue morbos avertendos (3). Nam neque tenuis illa, & fortasse incerta, & quae aliis etiam tutioribus in re medica praesidiis obtineri possit utilitas, tot homini partis a virulenta bestia damnis comparanda est, neque de animantium natura humiliter adeo sentiendum, ut quaecumque in ipsis sunt, hominum potius vel poenae, vel commodo, quam proprio animalium ipsorum usui designentur. Vel itaque, ut egregie in hac parte docet Derhamius, ad sui defensionem & commodum venenum in animantibus insitum a Natura est, vel necessarium quemdam praestat usum mechanicis eorum-

---

(1) *A proprement parler le tout n'a pas etè fait pour les parties, mais les parties pour le tout, & le tout pour le Createur. Cudwort. Et les choses, qui me nuisent, ne sont faites pour moy, mais pour cet Univers. Bayle ex Seneca Pens. sur la Com. tom.* 3.

(2) *Dissertation sur la perfection du Monde corporel & intelligent. a Leyde* 1745.

(3) *Derham, Dimostrazione dell' esistenza di Dio &c. Lib.* IX. *cap.* I.

eorumdem fabricae actionibus perficiendis. At in evidentissima veritatis luce tota res exemplo collocetur. Qui editi a vipera caudisona strepitus cognitionem adeptus est; is profecto utilissimi sonitus necessitatem in humanae salutis gratiam constituet. At nullus admonendo homini in incedente vipera illa sonus est, neque nonnisi suum attrahendis in sinum volucribus sonans cauda concutitur, cum latentis sub arbore serpentis strepitu perterritas cadentesque lethalis gula volucres absorbeat (1). Postremo absit ut in hominis duntaxat commodum exorta esse putes animalia plura, cum vermes videas in intestinis vel viventem corrodentes, quem animantium dominum vocas, principemque.

Jam ergo quis inter noxias veneno bestias vel ipsum recenseri putet animal medicinae sacrum, & salutaris artis veluti Symbolon? nimirum hac serpentes dignitate superstitiosa cohonestavit Antiquitas, quae Aesculapium sub ea latentem forma apud Romanos Graecosque descripsit (2), vel iisdem subesse docuit divini furoris in morbo notas, cui sola limites ponat Medicina (3), vel tanquam vitae argumenta Aegyptio more traduxit (4). Neque enim lubet hic inopportuna legentes eruditione defatigare, differendo quam & serpentum merita produxerint sanctae illae caepis devotae gentes, quarum horti nascentibus turmatim diis cunas praestiterunt, quarum & vi-

---

(1) *A mechanical account of poisons in several essais by Richard Mead &c. Lond.* 1745. *quam Operis doctissimi Edit. ubique sequimur. Vide etiam ubi de torpedine.*

(2) *Ex T. Livio, Val. Max. Ovid. Metamorph. lib.* 15. *Vid. Salomon. Cellarii Orig. & Antiquit. Medic.*

(3) *Spanheim de usu Numismatum.*

(4) *Storia del Cielo Tom.* 1. *Lami de' serpenti sacri Tom.* IV. *de' Saggi delle Dissert. Corton. e delle Ciste mistiche Tom.* 1. *Dissert.* 6.

viget adhuc apud barbaros consuetudo, serpentes in deos referens, & aris imponens; quaeve serpentum imagini dignitatis accessio facta fuerit per illustriores antiquitatis interpretes, qui angues cauda ore detenta circulum componentes Regis potentissimi notam explicent, & qui toti terrarum orbi dominetur (1), aut aspides Aegyptiorum Regum diadema vestientes, quibus vitae mortisque autoritas exhiberetur (2). Quod ergo ad nostram spectat provinciam, venefica nocendi vis non omnia serpentum genera complectitur: cum ex iis plurimi, domesticorum animalium more, cum homine vivant, & eius corporis illudendo circumvolvantur (3). Quod a nonnullis minime perspectum ociosos homines tamquam admirandos heroas, & ferociorum bestiarum domitores traduxit. Animus non est hoc loci subnectere minimas serpentum divisiones, quae prostant apud scriptores, neque eorum quoque vix cognitorum, qui veneno infecti perhibentur, & apud Dioscoridem, Nicandrum, aliosque formidabili agmine legentem perturbant (4). De Aristotele quid dicendum sit nescio, qui necessariam putavit in serpentibus ἀποδίαν (5), quod ad efferendam longius protracti corporis extensionem nimiis egerent pedibus. Elegans autem est de serpentum visu Academiae Parisiensis observatio, quod scilicet ampliora serpentibus, quam homini obiecta facile exhibeantur, cum anguium humore crystallino lentis loco adhibito ampliora homini videantur corpora (6). Ni-

---

(1) *Horus lib.* 1. *cap.* 56.

(2) *Ælian. hist. lib.* VI. *cap.* 38.

(3) *Psalmanaazaar*, *Description de l' Isle Formose en Asie*.

(4) *Owen's an essay towards a natural history of serpents. Lond.* 1743.

(5) *Hist. Animal. lib.* 2. *cap.* 17.

(6) *Hist. de l' Ac. R. des Scienc. du* 1706. *pag.* 9.

Nimius essem si me in iis occupatum detinerem, quae a remotis orbis partibus tanquam perspecta referuntur, & ad excitandam duntaxat invidiam, vel insanam quamdam in obscuris animis admirationem, ab iis in itinerum historia memorantur, quibus extremos terrae fines peragrantibus facile licet atque impune mendacia venditare. Quorum aliquis immane quoddam veluti basilisci genus commentatus est (1) in serpente insularum, quas Philippinas vocant, incola, ea corporis magnitudine, eo optimae digestionis gulaeque portento, ut cervos, apros, homines ipsos inauspicato ad illum sidere adcedentes, in horrendum stomachum uno ictu detrudat: id autem sceleris nulla alia ratione aggrediatur quam pendens in arbore, (imaginare quam umbrosa immanique!) molesque praetereuntium animalium inspirato aere attrahens. Quod si exaggeratum quidpiam sapit enarratio illa, at Guglielmus Piso (2) serpentem describit Boiguacu, omnium facile maximum, humani corporis crassitiem aequantem, viginti & amplius pedes longum, super caudam se erigentem suam, & cum hominibus belluisque decertantem, vel ex arbore desilientem fraudulenter in viatores, eosque validissimis cingentem amplexibus, iisque iugulantem. Latentes inter arborum ramos, seseque ab iis eicientes angues acontiae, sive iaculi apud veteres audiebant, quod saltu valerent, & viginti cubitorum spatium, si opus esset, celerrime transilirent, iique illi sunt, qui Kippoz ab Isaia nuncupantur (3), quosque missili volare tormento docuit Plinius, ex arboribus vi maxima turbinatos vibrari asseruit Solinus. Siculo sub coelo frequentes esse perhibentur, eorumque praesens nomen Italum grae-

---

(1) *Gemelli*, *Giro del mondo Tom.* v. *pag.* 157.

(2) *Hist. Nat. Brasil. Lugd. Batav.* 1748.

(3) *Bochart.* *ιεροζοικον*, *sive de Animal. S. Script. Tom.* II. *lib.* II. *cap.* XI.

graeco latinoque consonare (1). At hilaritatis amici, & nostra haec legentibus gratissimi nonnulla in eruditae festivitatis gratiam breviter adiungemus de singulari serpentum decantata magnitudine. Cumque plurimo patrium Etruriae coelum amore prosequamur, idcirco primam sibi partem vindicabit Dionis Historia, qui Augusti aetate visum notat in Etruria serpentem bicipitem. pedum 85. longitudine (2), & Strabonis lib 16. in Coele Syriae campo narrat Posidonius, draconem mortuum observatum fuisse 100. pedes longum, talis autem, tantaeque ab utroque latere dimensionis, ut adstantes utrimque equites neque se invicem dignoscerent, hiatu gulae tanto ut insidentem equo militem sine ullo ingentium maxillarum damno ac divulsione absorberet, cutis demum suae squammas singulas praeferret scuto latiores. Insigniora apud alios offendes; nobis enim duo haec in risus gratiam satis. Exinde tamen nemini liceat inficiari, singularis fortasse, non eos tamen quales apud aliquas gentes, magnitudinis serpentes existere, quales in Africa praesertim, Asiaque nonnulli deprehenderunt, describitque Tavernierus pedum 25. longitudine, quam ille praeseferebat extensionem, qui puellam 18. annos natam devorasse fertur, cuiusque pellis apud Batavos servata spectaculo inservit intuentium. Quin & nimia quorumdam fides, & ultra mediocritatem aliquando fervida pictorum imaginatio, serpentes exhibuit alatos, cristatos, minaces oculis, dentibusque, flammam eructantes: quae animantium formae, naturae licet monstra sint, fervidarum mentium oestro vel originem debent, vel incrementum. Eorum historiae contexendae ansam dedit observatio pinnarum quarumdam, aut rugarum diverso modo explicata-

---

(1) Saettone, *quod idem est ac graece ακοντιον, latine* jaculum.

(2) *Lib.* 50.

catarum, & volucrum pennas, aliave huiusmodi describentium, eadem omnino ratione qua bestias mitratas, cucullatas, aliisve insolitis corporum formis vitiisque, aut ea saltem vitia mentientibus vixisse testantur naturalis historiae scriptores; ex quibus tamen nullus sanae mentis inferat, existere in orbe terrarum peculiarem eorumdem classem, familiamque (1). Cum autem urant veluti faucium veneno, ignea serpentum lingua potuit jure optimo a pictoribus exhiberi. Hinc a Grecis angues nonnulli *πρηστῆρες*, & *καυσῶνες* appellati sunt, & ab excitata siti *διψάδες*; eo ipso pacto quo paludum aquas hyemali tempestate occupantes hydri dicti sunt, qui chersydri aestiva tempestate dicebantur, cum exsiccatis paludibus aridas terras incolerent; vel ab aliorum animantium similitudine titulum eumdem sortiti sunt, ut ex gr. hyaena serpens, quod hyaenae instar variam habeat cutem, & sexum quot annis novum induere censeatur modo mas, modo femina; unde incostantiae notam facit.

Deceret hic aliquantulum divagari, & qui philosophicae fidei canones habendi sint portentosa quaedam audienti, legentive, fusius exhibere. Sed hanc abstrusioris criticae provinciam aliis demandantes, id unum animadvertimus, neque esse omnibus ita facile assentiendum, neque & dissentiendum quod admiranda quaedam sint & consuetas naturae leges effugere videantur. Docet id singularis observatio de ipsa in veterum fabulis notissima, nunc vero puerorum vocibus declamata Hydra Lernea: nonne enim serpentis novem praediti capitibus sceletum in Vallisnerio describit Artegianius (2)? Eo certe spectaculo

---

(1) *Traitè des dragons & des escarboucles par M. Jean Panthot à Lion* 1691. *Scheuchzer*, *Otia aestivalia anni* 1729. *Clariss. Hans-sloane inscripta*, *& ab Aut. memorata Phisicae Sacrae Tom.* VI.

(2) *Opusc. scientific. del P. Calogerà Tom.* VI. *ibi* „ *La*

culo Redii deprimeretur admiratio, serpentem bicipitem adeo accurate describentis rarissimi monstri nomine, & poeticae mentis ecstasi partas esse hydras admonentis. Vti enim ex irradiatorum ovorum contactu, tot exinde nascentium corporum oritur contactus, non in omnibus perfecte partibus nutriendorum, & occurrentibus frequenter monstris originem daturorum in viviparis, adeoque in serpentibus; ita idipsum in oviparis aliquando, rarius licet, usuvenire docent volatilium, & pullorum exempla, bicipites pullos, pedibusve pluribus instructos &c. disruptis exterioris ovi repagulis vitae proferentia (1). Quibus animantium formis, seu monstris potius, si negare fidem sine temeritatis nota minime possumus, neque tamen eorum semper asserta commendabimus, qui alatos dracones, (quod fortasse idem est ac elatarum pinnarum, squammarumve insigniorum serpentes) aliaque eiusmodi, anilium fabularum titulis addiderunt (2). Sciendum quoque est, quod accuratiores observarunt naturalis historiae scri-

---

La descrizione dello Scheletro esistente nello Studio del Sig. Antonio Rossi Chirurgo Veneziano. *Quod vero in Artegianio serpente desideratur cum veteri hydra commune, est resectorum capitum nova generatio, quae, licet non in serpentibus, in Trembleianis tamen polypis, & ampliori luxuriantis naturae liberalitate, dicitur usuvenire. Trembley Memoir. pour servir a l' hist. d' un genre des polypes &c. a Leyde* 1744.

(1) *Qui ovorum, & praeexistentium machinarum systemati non subscribunt, & verosimiliori sententia successivam ex utroque semine animalium formationem tuentur, rem omnem facilius explicabunt.*

(2) *M. Klein of the flying Squirrel, or mus ponticus, or scythicus of Gesner, and of the Vespertilio admirabilis Bontii, & Levini Vicent. Catalog. & descript. Animal.* 1726. *pag.* 8. *centur.* 1.

ſcriptores, ſingulares haſce ſerpentum formas, quorum veram olim exiſtentiam comprobare videntur ſceleta, vel aridae unitaeque corporum machinae, quae variis in Muſeis ſervantur, ficticias magna ex parte eſſe, & ex pluribus aliorum animantium partibus ſumma arte conſtitutas. Quod patuit facile vel anatomica eorumdem diſſectione, vel accurata critici oculi obſervatione. Quae admirationis conciliandae ſtudio pluribus ex alieno corpore depromptis organis elaborata, originem fecerunt deſcriptioni hiſtoricae non exiſtentium animalium. Quod ſi de graviſſimorum autorum fide dubitare nolimus, qui beſtias haſce & viventes deſcripſerint, ex iis certe, ut ſupra adnotavimus, non determinata ſerpentum quorumdam ſeries deducenda eſt, ſed naturae monſtrum: unde admirationem facit criticus ceteroquin ſcriptor Bochartus, qui in exhibendis draconum notis pluribus, quo ab anguibus ceteris dignoſcantur, adeo deſudaverit (1). Cum enim diverſiſſima ſit apud diverſos eorumdem deſcriptio, cum ipſae quadrupedum, ipſae volatilium proprietates draconibus adiungantur, hinc non de viſo, ſed imaginario animali ſermo eſt. Quos autem Muſea exhibent dracones, ex Raia praeſertim exſiccata componuntur Ionſtoni (2), & Rondeletii teſtimonio (3); quos exhibent hiſtoriae vel ad immaniores communeſque ſerpentes referendi ſunt, vel mali alicuius ſymbola reputanda. Quod critice animadvertit Baronius de dracone per S. Georgium interfecto, in quo famis, bellive ſymbolon inſit, peſtiſve a qua gentes aliquas heros ille liberaverit. Quin & Crocodili ipſi, aliaeque eiuſmodi belluae cum draconibus ſaepe confunduntur (4). Cum vero in tota animantium

(1) *ιεροζοικον lib.* III. *de dracon. cap.* 14.
(2) *De Dracon. Tit.* II. *cap.* I.
(3) *Lib.* X. *cap.* II. *de piſcibus*
(4) *Hiacint. Gimma de fabuloſis hominib. & animal. diſſert.* 2.

tium hiſtoria ridiculae , eaeque prorſus innumerae ſcriptorum fabulae occurrant, tum illae, quae de ſerpentibus venditantur, adeo ſingulares lepidaeque ſunt, ut delirantium ſomniis comparentur. Quid quod vel a prima illae ſerpentum origine, naſcendique forma exordium ſumunt, & poſt mortem quoque ipſam, cinereſque ultimos perſeverant. Vti enim inſana illa, ac tamdiu confirmata Diis Manibus reverentia , intacta apud veteres hominum cadavera eſſe voluit, ita & ſacra vetuſtiorum aetatum ſuperſtitio , divinique ſerpentum characteres, & admixti toto corpore veneni credulitas id effecerunt , ut audaciae plenum opus videretur illorum viſcera perſcrutari, hiſtoriamque perquirere , proindeque altiſſimam ea in re veritatis ignorantiam longo temporum ſpatio confirmavit.

Eo quo ſerpentes reliquas corporis partes offendunt ictu, & patentes hominum fauces aliquando offendere potuiſſe cenſendum eſt , non vero per os in ventriculi cavitatem illapſos, ut in dormientibus quibusdam eveniſſe plurimi retulerunt , quos & producta ſerpentum moles , & mechanica gulae tam facile irritabilis, omniaque evomentis fabrica, & impediendae reſpirationis difficultas explodit, vermeſque potius eos fuiſſe demonſtrat , quos non e gula duntaxat , ſed renibus , urethra , aliiſque partibus prodiiſſe dixerant , ſerpenteſque facile nuncupaverant addicti illi portentis hiſtorici (1). Quanta autem , & quam vera ſit ſerpentum varietas , illuſtriores indicant naturalis hiſtoriae ſcriptores, & inſignis Alberti Seba ex toto terrarum ambitu collatarum raritatum icones repraeſentant , qui & mollioris ſerpentum fabricae abſolutam promit anatomiam,

---

(1) *Garman. de mirac. mortuor. lib.* 3. *Olaus magnus lib.* 13.

miam ; Opus ſplendidum, & Boerhaavio laudatore dignum (1).

Ne ergo vaſtiſſima rerum exponendarum ſerie obruamur, noſtra in hanc rem ſtudia ii maxime angues ſibi vindicent, qui veneno ſuo celebriores perhibentur, quorumque eo titulo principem conſtituemus ſerpentem caudiſonum. Sonitum is cauda edit tintinnabuli inſtar, quo ab eius occurſu cavere poſſent fauſtis auribus Americani, ut falſo iactatur, cum praedae duntaxat abſorbendae ſonitus ille inſerviat (2). *Boicininga* audit in Braſilia, *Rattle-ſnake* in Anglia, *Serpent a ſonnettes* in Gallia (3). Duo, quatuor, & quinque pedum longitudine. Vltimam anguis vertebram conſequuntur oſſicula plura concava, rotunda, laevia, cornuum ſubſtantiae ſimilia, liberae articulationis, validique tendinis vi invicem conſpirantia, geminaque concavae ſuperficiei repercuſſione & contactu ſonora (4).

(1) *Vid. etiam quae refert Scheuchzer. dans ſa Phiſique ſacrée plurib. in loc. du Cabinet de M. Ioan Henri Linke.*

(2) *Quî ſonitum hunc edat docet Georgius Margravius de Liebſtad in Hiſt. rerum natur. Braſil. lib.* VI. *cap.* 14. *Caudae in extremitate adnatum eſt corpus parallelogrammum, paullulum compreſſum, conſtans quaſi hamulis catenaceis, ſingulari modo invicem aptatis, ut cimbali modo ſerpens ſonum eo edat, & a longinquo audiri poſſit. Quot annorum ſerpens, tot partes habet crepitaculum hoc.*

(3) *Hiſt. & deſcription de la nouvelle France par le P. Charlevoix.*

(4) *Alberti Seba Theſaur. hiſt. rer. natur. vol.* 4. *in fol. Amſtelod. ibi crepitacula haec depicta offendes, quorum unum ex oſſiculis* 40. *componitur. Vid. & Graevii Muſeum Regiae Societ. Sect. III. p.* 1.

Vipera omnium pestilentissima, quae dimidio minuto, & vel unius minuti quarta parte canes interficit (1). Societatis Regiae Londinensis studio ac diligentiae debemus experimenta de veneno serpentis caudisoni, in Carolina meridionali, & Virginia maxime observandi, ex quibus constat velocissimam esse eius veneni vim, adeo ut non pullos solum, sed & robustos canes uno, tribus, quatuor a morsu minutis sustulerit: quin & serpentem nigrum, cum quo decertavit, minutis octo, deinde & se ipsum, illato per vim sibi vulnere, eodem temporis spatio interemit (2). Eius anatome ab Eduardo Tyson, & Io. Ranby instituta, singularem in iis anguibus exhibet dentium structuram, a quorum ossea fabrica veluti tubulari, seu foraminibus quibusdam ad extremitates usque dentium pervia, venenum in vulnus effluit. Neque alia sapientum illorum testimonio veneni sunt receptacula, quam dentes ipsi fluidum quoddam subflavum pellucidum manifesto continentes, quod detento in spiritu vini serpente rubrum colorem adipiscitur. Quae vero pars, aut glandula componendi secernendive humoris venefici officio perfungitur, ex aliqua fortasse earum glandularum repetenda est, quae apud eruditos illos viros maxillares sunt, & innoxium liquidum separantes. At accurata Nichols observatione, quae in quacumque vipera venenum secernit glandula sub genis constituta, ea ipsa idem in serpente caudisono praestat officium. Eius morsui specificum veluti remedium esse dicitur Seneka, radix nimirum plantae cuiuspiam, quae Polygalae genus est. (3).

Haec

(1) *An account of Virginia by M. Clayton.*

(2) *Esperiments on the effets of the poison of the Rattle-snake Phil. Trans. num.* 399. *&* 401.

(3) *Hist. de l' Acad. R. de l' an.* 1744. *Ibidem radix haec singularis quoque antipleuritici titulo commendatur.*

Haec de vipera caudiſona. At viperae cuiuſcumque nomen, funeſtum neſcio quid auribus inſonat. Neque horroris tanti alia origo eſt, quam exigua humoris guttula, qui a caninorum dentium cavitate & vaginis extillat, & ſeparatur in glandula poſt oculum ſita, cujus ductus excretorius abit in ſacculum in profundo ipſorum dentium ſitu conſtitutum, a quo fertur in dentes vaginasque, iisque compreſſis per dentes exprimitur. Id vero certis licet experimentis adeo confirmatum, ut in dubium revocari nullo modo poſſet, oppugnantium tamen numero & autoritate comprovabit, nullam eſſe in phyſicis vel hiſtoricam veritatem, quae non attente obſervanti dubitationem non incutiat. Vt enim de iis ſileam experimentis, quibus contra Redium Charas inſurrexit (1), & quae repetita toties experimenta tentare Redium ſuaſerunt, inſigni exemplo, alienae ſcientiae, quantacumque illa eſſet, cultorem, amicumque, contemptorem ſuae; at Melchior Friccius nullo viperas ſucco, ſed nervoſarum membranarum laceratione, & divulſione mortem inferre contenderat (2). Id ergo laudis meritique illuſtribus Redii Manibus inficiari nolumus, doctaeque Viri ſapientis incredulitati, iteratis ut ſumma fide experimentis certam de viperarum veneno doctrinam habeamus, alii licet, & inter ceteros luculentiſſime Thomas Jordanus veſiculas haſce circa dentium radices veneno turgidas duobus ferme ante Redium ſaeculis exhibuerit (3), nonnulla etiam apud veteres reperiantur. Singulare autem eſt de ſucci huiuſce ſapore ſenſuque tam diverſas eſſe relationes. Inſipidum quippe in eo ſenſum deprehendit Redius, ſalivalem

---

(1) *Nouvelles experiences ſur la vipere per M. Charaſ. a Paris* 1694. *ibi demonſtrare nititur Charaſius ab irata duntaxat vipera eſſe pertimeſcendum.*

(2) *Paradox. Medic.* VII.

(3) *De phaenomen. peſt. Tract.* III. *cap.* 9.

lem & amygdalarum dulcium oleo comparandum. Quod confirmat Acad. R. Parisiensis (1), quae & addit acrimoniam quamdam ex eo in lingua deponi, quod a saliva quoque aliquando experimur. At Meadii testimonio urentem sensum acerrimum parit succus ille, licet aqua diluatur, quique purum delibarunt, brevi linguae inflammatione, dolore, tumore correpti sunt (2):

Anatomica in viperis caninorum dentium inspectione deprehensum est, diaphanam eorumdem, si soli exponantur, fabricam cavam esse, & tubulis perviam, ex quibus lethalis succus egrediatur, acumine dentium prorsus solido, acuto, durissimoque (3); unde simile quidpiam iis inesse dicendum est ac in aculeo scorpionum, dentibusque serpentis caudisoni, quorum tamen fabrica aliquatenus differt, cum ab ipso ferme dentium exordio in externa superficie in exiguum laterale foramen derivari cavitas putetur. Neque experimento duntaxat, sed & rationi consona est lateralium in viperis, scorpio, aliisque animantibus foraminum constitutio, cum ad validam puncturae impressionem solidi in dente acuminis vis desideretur, succusque ab externa dentium superficie diffusus, immissis in vulnere dentibus non interius urgeri, sed ad oras, seu labra vulneris facile commorari, repellique possit. At ab externo dentium ambitu per gingivas lethalem succum desudare, non vero ab interna cavitate contendit Redius, licet in eorum anatomica structura non dissentiat, cumque ea, quibus opinionem fulcit suam, experimenta, rationesque, & pro illa stent, quae ex cavis tubulis venenum egredi docet, proindeque difficilem, nec tamen satis variam, constituant veritatem, hinc non, nisi

(1) *Memoir. du 1666. iusqu' au 1699. Tom. 11. part. 2.*

(2) *Vid. Meadiani Operis edit. ultimam anni 1745.*

(3) *Vallisnieri Lett. al Rev. D. Ignazio Giorgi. Nicolls apud Meadium &c.*

nisi eristico instructus spiritu de litteraria in hac re facile promovenda gestiet controversia.

Quos cum ceteris animantibus communes parit effectus morsus viperae, alter & quidem admirabilis aliquando consequitur, icterus scilicet. Quod cum viperae morsui non semper commune sit, hinc adscribendum potius est peculiari in venenum reactioni corporis, quod veneni ingressus infecit, quam actioni veneni ipsius, quo corpus inficitur. Quid quod & quotae sunt icteri origines? Quot occurrunt innoxiorum quoque animantium exempla, quae morsu icterum fecerunt (1)? Quae omnia repetenda sunt a diverso immutationis genere, seu diversis effectibus, quos una eademque causa in variis effert corporibus. Fortasse & peculiaris quaedam icteritiae species illa est, neque a bilis aut hepatis vitio ullo profluens, sed ab alia quacumque causa, limphae, humorisve alterius, colorem facile mutabilem immutante, vel a subita bilis canalium, vehementique contractione repetenda est. Icterum hunc ex veneno ortum describit Avenzoarius (2). Neque ictero minorem facit admirationem aliud, licet non adeo frequens, ex morsu viperae phaenomenon, tumor scilicet externae totius corporis superficiei, quo in scrotum desinente, maximamque acris & igneae urinae copiam dissolvente, cohibetur morbus. Quod cuipiam veluti veneni a diversis corporis partibus in scrotum secretioni tribuendum (3), vel ex eo potius derivari dicendum est, quod toxici vi remora quaedam in seri circuitu exoriatur, limphaticique sistematis spasmodica contractio, exindeque in toto cellulosae membranae

---

(1) *Vid. Joseph. Lanzoni Observ. de Icteritia ex morsu felis, canis venatici &c.*

(2) *Freind Hist. medic. pag.* 115. *edit. Venet.* 1735.

(3) *Observations on several poisons by Sir Theod. Mayerne.*

nae ambitu quoddam velut anaſarca flatulento-aquoſum exſurgat.

Cum tanta ſit in viperis efficacia, iis olim violentius decertatum fuiſſe quam armis novimus, quin & partam exinde victoriam. Ea nimirum ex Livio Annibalis ars fuit, qui proiectis fictilibus vaſis plurimis vipereo agmine refertiſſimis, Pergami Regis claſſes terrore & caede complevit. Luber quoque nonnulla hic adnotare de viperarum partu, coituque, ut in evidentiori veritatis luce conſtituatur quod ſuperius aſſeruimus, de ſingulari ſerpentum quorumdam forma differentes, nimirum portentoſa quaedam referenti neque ita facile conſentiendum eſſe, neque & eo titulo diſſentiendum, quod conſuetas quaedam excedere videantur naturae leges. Per os itaque coire viperas, & parere, vulgaris opinio eſt, & amatorium illum furorem, de quo adeo belle Lucretius lib IV. in vipera eſſe manifeſtum. Nam ex voluptate libidinis in rabiem verſa caput maris ore ſuſceptum lacerare dicitur (1). Num ergo haec Philoſophorum fidem extorqueant? At revera id aliquando uſuvenire poſſe ex Valliſnerio intelliges (2). Cum enim uterorum oſcula cum inte-

---

(1) *Iſidor. Plin. Elian. Nicand. &c. omnium vero elegantiſſime Prudentius in Hamartig.*

.... morituram obſcoena maritum
Ore ſitit patulo; caput inſerit ille trilingue
Coniugis in fauces, atque oſcula fervidus intrat;
Inſinuans oris coitu genitale venenum:
Nupta voluptatis vi ſaucia, mordicus hauſtum
Scindit amatoris blanda inter gaudia guttur.

(2) *Vid. Opuſc. ſcientif. del P. Calogerà Tom. I. ibi & doctiſſimi Zanichelli obſervationem offendes de vipereis*

intestino recto, aliisque visceribus in vipera hient in cloacam, si interclusum nanciscantur exitum viperei fetus, alibique convertantur, occurret recti osculum, per quod exerent sese inversa via continuo ad os usque canali, non aliter ac vermes, foeces, ipsaeque aliquando purgantes, ut a Medicis vocantur, curae suppositae (1). Quod autem de coitu per os asseritur, id vero nonnisi ad veterum columbarium, aut suaviandi speciem referri debet, delisciasve coitum praeeuntes alibi instituendum.

Cleopatrae historia, ausae asperas tractare serpentes, ne superbo non humilis mulier triumpho deduceretur (2), summum aspidibus famae peperit incrementum. Cumque maximum semper apud feminas venustatis pretium fuerit, hinc de eo mortis genere curiosam fuisse Cleopatram ferunt, quae minorem, quam quae fieri posset, formae inferret iniuriam, & vel mortuae spectaculum faceret non iniucundum. Quod ex aspidum genere ὕπναλις facile polliceri dicebatur, per quem scilicet illato somno, adductoque superiora versus sanguine, ingratus exularet e vultu pallidae mortis color, & ad risum potius quam luctum facies componeretur. At cum aliis fortasse dicendum est (3), vivos aspides nullo pacto a Cleopatra pertractatos fuisse, sed infusum in corpore toxicum venenato quopiam instrumento. Quod enim brachiis, non

F pe-

---

reis fetibus 14, *qui vix nati in statera expositi ad exquirendum corporis pondus, postquam plures sine cibo hebdomadas vixerint, molemque tamen auxerint suam iterum in statera expositi minus habere ponderis inventi sunt; unde partium vel membranarum dilatatio potius dicenda illa esset, quam vera corporis nutritio.*

(1) *Borelli Cent.* 1. *observ.* 17. *Sennert. aliiq.*

(2) *Horat. Carm. lib.* 1. *Ode* 27.

(3) *Vid. Autorem libri theriacae ad Pisonem, Dionem &c.*

pectori, quae pictorum omni lege solutorum licentia est, adpositus serpens (1), postquam duas Aegyptiae principis ancillas morsu infecerit, deinde & Reginam ipsam inficere potuerit, adeo incredibile visum est scienti tenuiorum serpentum morsu primo vel secundo toxicum omne diffundi, ut acerrimae inter clariss. Viros Lancisium, & Morgagnium controversiae ansam praebuerit. Tantorum hominum titulo, scientiaque decorare me opusculum hoc meum gratulor maximopere, quorum alter adhuc vivens, Itali Coeli Sidus amplissimum, Academiam Patavinam diffusa toto orbe magni nominis gloria, & rerum inventarum admiratione complevit: neque ausim ullo pacto post sacra illa immortalitati nomina, turbulento censoriae dignitatis titulo nunquam inflatus, gravissimae disputationis iudex assurgere; at de ea breviter differentem Redium exhibebimus (2), & cuicumque ulteriora eius contentionis capita explorata sibi esse cupienti, supralaudatorum ea de re scriptorum scientia nil desiderandum relinquet. Aspidum morsu velocissime intereunt animantia, unde apud Aegyptios, aliosque aspidis morsui publice sontes exponebantur; quem adeo certa mors insequebatur, ut aspidis morsus vulgari adagio locum dederit, quo conclamatus morbus indicaretur (3). De aspidibus in India Orientali, & America occurrentibus plurimum ex Alberto Seba instrueris (4).

Serpentum numero & basiliscus sine ulla dubitatione inserendus est. Quamvis autem diversas eiusdem imagines vel pictura, vel autorum scripta rapraesentent, tamen nullo facile differt a ceteris anguibus discrimine, quam qui-

---

(1) *Plutarc. in Ant. Orosius, Propertius &c.*

(2) *Osserv. int. alle vipere pag. 18. Edit. Florent.* 1787.

(3) *Δηγμα ἀσπίδος. Vid. Erasm. Proverb.*

(4) *Lib. supralaud. Tom. 2. pag. 11. 65. & alibi.*

quibusdam in externo capite additamentis, cristis ex. gr. cornibus, aliisque regium diadema simulantibus, fortasse & insuetis, monstrosisque formis, uti docent veterum numismata (1); ex quo regiae dignitatis velut insignibus ornatus, veneni quoque sui potentia ceteris omnibus antecellere crederetur, Quid quod Plinii, Solinique testimonio, non flexu multiplici, ut angues reliqui, corpus impellit, sed erecto, dimidia corporis mole repens, dimidia arduus, quod tamen serpentibus plurimis facile & commune est. Vtque amplius portentosae fabulae fieret incrementum, visu ipso nocere diceretur. Quod facile vulgari quadam exaggerata loquendi forma pervulgatum primo est, qua ut ab ingentibus periculis cauti simus, admonemur vel ab ipso obiecti illius adspectu esse pertimescendum. Fortasse & coruscantes in basilisco, ac veluti fulgurantes oculi fabulae ansam dederunt, iis scilicet inesse mortiferae pestis vehementiam, qua non animalia solum, sed & frutices exsiccaret, afflatas herbas exureret, saxa ipsa discinderet. Nova profecto haec est atque inaudita in oculis veneni sedes. Cuius doctrinae originem perquirenti dubitandum occurrit, an illa fortasse profluxerit ex Philosophorum quorumdam documentis in vulgus effusis, qui de visu differentes docuerunt per extramissionem radiorum, non per receptionem, fieri sensum illum, quem visus nomine designamus (2): quorum obsoleto jam praecepto & recentioribus hisce saeculis nonnulli explicandas susceperunt opiniones quasdam basilisco nescio quid analogum redolentes, cuiusmodi sunt quae efferuntur de amoris contagio, oculorum lippitudine, rubedine, flavedine, vel intuentibus communicanda, vel in obiectis necessario con-

F 2 spi-

---

(1) *Spanheim de praestantioribus Numismatibus.*

(2) *Vid. Stanleium &c. Brucker Hist. philos. critic. Lipsiae* 1724. *&c.*

ſpicienda (1). Licet autem veritati non obſtet prodire aliquando non ex oculis modo, ſed ex toto corporis ambitu lucis ſcintillas (2), quarum ex ſpeculo uſtorio reflexione debilis quidam in corpore caloris ſenſus excitetur (3), iudicandum tamen non eſt ea ex oculis, non ex obiectis, erumpente lucis vi nyctalopas homines, belluasve, externa corpora intueri (4), proindeque nec ab oculis aliquid in corpora ipſa perniciosum eici, immittive poſſe.

Vt vero intactum nihil relinquamus, anne ex eorum animantium genere baſiliſcus eſt, quae fallaci oculorum luce alia quaedam animantia in fraudem adducta ad ſe attrhaendo, oculorum veluti faſcino nocere perhibentur? Talis eſt ex veneficis animantibus ſerpens caudiſonus, belluas quasdam alatas praecipue oculorum luce ad ſe trhaens, attractasque iugulans (5). Quod & de aliis ſerpentibus diſſerit Salmonius (6), qui parvas ad ſe alliciunt volucres, lucidorum oculorum fraude circumventas. Avem certe baſiliſco ſupervolantem cadere mortuam veteres tradiderunt, unde halitu volucres abſorberi dicebantur. Neque hic omittenda ad eruendam, diverſe licet intelligendam baſiliſci hiſtoriam, quae de reſiliente in oculos bufonis urina, aliove humore nonnulli tradiderunt, & quae de animantibus quibusdam, in oculos ma-

---

(1) *Valleriol. Obſerv. medic. Lib.* II. *obſerv.* 7. *Exinde fortaſſe & veterum faſcinationes emanarunt.*

(2) *Bacon. de Verulam. Novum Organum ſcien. Willis Exercit. de ſang. accenſ. Cohauſen, aliique phoſphororum ſcriptores.*

(3) *Boerhaave Chemiae Tom II. cap.* 7.

(4) *Cogroſſi de igneo animal. principio.*

(5) *An account of the Rattle-ſnake by M. Dubley.*

(6) *Storia di tutti i popoli &c. ubi de Aegypto.*

maxime saevientibus, alibi disseruimus. Ex quibus suspicandi locus esset, non certe intuitu, sed humoris cuiuspiam eiectione nocere potuisse basiliscum, praesertim cum multa sint, quae determinatam in oculos duntaxat vim exerant (1). Sed haec omnia, aliaque per nos probabili duntaxat dubitationi consecrantur.

At esto nullam per oculos, num ergo totam halitu labem ingerat basiliscus? Nam quis a solo hyosciami fumo in delirium, vomitum, furorem actos homines quosdam ignorat (2)? Cui perspectum non est & ipsam, veneni praesertim contagiosi vires destruentem, flammam veneficas aliquando qualitates contraxisse? Siquidem inspirato praeeuntis venenatae facis fumo Clementem VII. obiisse testatur Ambrosius Paraeus (3), & agyrtam a socio extinctum odore cariophylli venenatae, Matthiolus. Quid enim de veneficis innoxiarum quoque rerum halitibus dicendum est, in exiguo spatio diu conclusarum (4)? Eam quoque esse exhalantium quorumdam corporum efficaciam, ut subito iugulent, testantur historiae cavernarum quarumdam, & salsi illius putei ab Jesuita Pardies descripti (5), & horrida nigri confessus

(1) *Ballon. Lib. II. Epidem. Ramazzin de morb. foricariorum, ibi ii qui latrinis expurgandis inserviunt, oculorum morbis & coecitate ipsa facile corripiuntur, illaeso a foetidis effluviis cerebro, pulmonibusque.*

(2) *Joh. Caspari Pathologia daemoniaca &c. seu Observ. circa morbos a fascino ortos daemonibus &c. adscriptos. Lipsiae* 1707.

(3) *Lib. XXI. de venen. cap.* 10.

(4) *Lancisi de subit. mortib. lib.* 1. *cap.* 6. *ibi rustici historia, qui ex diruta quercu, egressoque serpente obiit horis vix duabus.*

(5) *Extrait d' une lettre ecrite par le P. Pardies a M. Payen* 1666.

sus historia (1). Quin & venena esse posse, quae licet nuspiam conclusa, per simplicem exhalationis vim mortem ferant ex Nicolao Florentino eruitur (2), qui de Francisco Ordelapho sermonem instituens, eum singularis veneni possessorem vocat, quod carbonibus iniectum adstantes interimeret; & „ memini, ait Lindestolpius (3), „ me legisse anno 1708. Stokolmiae die 31. Augusti in „ novellis publicis, advenisse ad Princ. Eugenium ex ur- „ be Ryssellensi, vel Insulis Flandricis, arctissime tum „ obsessis, literas, quibus portiuncula quaedam grysei „ papyri veneno fortissimo peruncti inclusa fuerit, quam „ qui imprudentius attigissent, passi sint inde damna „ non parva, & canis, commune illud experimentorum „ martyrium, cui per artificium fuit hoc papyri fru- „ stulum exhibitum, morte repentina obiverit „. Quid enim volatilem fungi perniciosi farinam memorem, de qua Boerhaavius, ubi de venenis uno ictu specie halitus suffocantibus (4). Neque tamen haec a me dicta sunt,

---

(1) *Apud Mead de contag. traduct. per clarissimum Virum Jo. Gentilium. Della nera assemblea (così la chiamano) adunatasi l'anno* 1577. *nella Fortezza d'Oxford ..... si racconta che tanto i giudici, quanto le nobili persone, e quasi tutti quelli che erano presenti, al numero di* 300. *uccise un vapore improvviso, col suo alito venefico, che dalla terra, come supposero alcuni, esalò; ma piuttosto, come assai meglio ha pensato un illustre Filosofo, (Verulam. nat. ist. cent.* 10. *n.* 914. *) se l'erano condotto seco tutti i colpevoli dalla carcere al palagio, poichè non a loro soli fu osservato che questa infezione facesse danno. Camden Annali della Reg. Elisabetta.*

(2) *Serm.* 4. *tract.* 3. *cap.* 9.

(3) *De venen. pag.* 739.

(4) *Instit. medic.* 1145.

ſunt, ut ſingularis baſiliſci vis tanquam vera comprobetur; ſibilo quippe & reſpiratione, vel ipſa lucis converſione, adeo noxium eſſe poſſe ſerpentem, incredibile videtur, atque omnino ſingulare. At prolixae de baſiliſco diſſertationi finem imponens, venerandam percunctarer antiquitatem de heroum illorum merito, qui publicam fecerunt ſerpentis hiſtoriam, nulli hominum ſine vitae periculo conſpiciendi. Quid ni? Cum, noſtra ut longius producatur admiratio, incredibilis doctrinae veluti cumulus adcedat conſectandi, occidendique baſiliſci lepida prorſus enarratio. Quemadmodum igitur inflicto ſibi ipſis veneno ſuo interfici vidimus animalia omnia, ita ingentibus toto corpore ſpeculis obducti venatores, baſiliſcum oculos in ſpeculis defigentem, reflexis a vitro veneficis radiis ſibi ipſi mortem inferre didicerunt (1). Quae omnia nulla licet certa autoritate muniantur, ſufficiat memoraſſe ad ampliorem rerum illarum ſeriem vaſtam ſatis contexendam, quae vulgo & impune referuntur.

Singularis quoque efficaciae eſt haemorrhous, arenoſi coloris variegatique, binis cornibus, ex quibus cultrorum manubria apud Indos Imperatores fieri fama eſt, quae ſudore prodant venenum adpoſitum (2). Serpentem ſanguiſugum in haemorrhoo deſcribit Solinus, a quo nimirum violento ſuctionis genere ſanguis adducatur ad cutem. Viperae ſpecies is eſt, morbum quemdam excitans, illi non diſſimilem, quem de Onraet Jeſuita refert Verheienus (3). Cuiusmodi effectus etiam autorem traducit Ibiracoam anguem Guglielmus Piſo, & Georgius Liebſtadius (4), qui non bicipitem eſſe anguem illum do-

(1) *Gaſp. Bartholin. Exercit. miſcell. varii argum.*

(2) *Ray. Synopſ. quadrup.* 287.

(3) *Vera hiſt. de horrendo ſanguinis fluxu ex oculis, ore, aurib. narib. &c. P. Jo. Onraet. Lovanii* 1708.

(4) *Hiſt. rer. nat. Braſil.*

docet, quae vulgaris opinio est, sed capite, caudaque vulnus insigentem, cum duae illae partes forma & amplitudine similes difficilius distinguantur, uti & de amphisbena memoriae mandavit Plinius (1), & recentissime Tavernierus (2), qui serpentes in Siamensi regno describit pedum 22. binisque ut putat capitibus, quorum alterum in extremitate corporis situm, quae caudae loco est, clauso ore immobilique. Tullus ab haemorrhoo punctus immani spectaculo legentibus exhibetur apud Lucanum (3). Neque vero tanquam incredibile serpentis haemagogi phaenomenon habebit Medicus ille, qui noverit ubique sanguini patere effluxum, si quacumque de causa dilatentur vasa illa, quorum diameter globulis sanguineis minor, sanguini ipsi naturaliter transmittendo impar est, quique in scientiae suae magistris offenderit saepissime, menstrua per poros manus, genarumque erumpentia (4), per capitis verticem (5) per interiorem oculorum canthum, per ductum lacrimalem (6), per totam denique cutis superficiem (7). Qui & analogum in morbis quibusdam effectum deprehenderit, violaceas a cutaneo sanguine maculas in scorbuto, lividas in mali-

gnis

---

(1) *Nat. Hist. lib. VIII. cap.* 23.
(2) *Viaggio nella Turchia, Persia, Indie &c. Tom.* 3.
(3) *Pharsal. lib.* 9.

Sanguis erant lacrimae, quaecumque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor, ora redundant,
Et patulae nares, sudor rubet, omnia plenis
Membra fluunt venis, totum est pro vulnere corpus.

(4) *Bartholin. Hist. XIII. cent.* 1.
(5) *Kerkring. observ.* 85. *Verduc de l' usage des part.*
(6) *Bartholin. Hist. XVI. cent.* 1. *& Woolhousius.*
(7) *Ruisch &c.*

gnis morbis, cruentas in cute guttulas a Siamensi contagio (1); qui legerit in historiis Carolum IX. Gallorum Regem sanguine per cutis poros effluente conspersum extinctumque (2), qui demum & vegetabile venenum recentissime depromptum noverit, distillatam Lauro-cerasi aquam, fluidissimo sanguine limphaticas venas infarcientem, & inobservata facile anatomicis spectacula detegentem (3). Postremo haemorroum Macassaricum eiusmodi effectuum autorem exhibet adhuc Museum Pauli Hermanni (4), qui diuturna Indiarum habitatione de serpentum multorum, quos imaginarios plurimi crediderunt, veritate certior factus, illorum exuvias transtulit, sacram Naturae domum ornaturas.

Neque vero postremo veneficas inter bestias loco reponendi sunt Aranei, quorum descriptionem accuratissimam, & in varias species divisionem apud Hombergium, (5) sis offendes, aliosque rei naturalis interpretes. Quae de araneorum quorundam toxico dicta sunt adeo pernicioso, ut incaute cum herbis alimentisve devoratum, incommoda plurima, mortemque ipsam adcersiverit, diligentius exigit Philosophorum iudicium (6). Neque enim incredibile est animalium virus faucibus assumptum aliquando mortem intulisse, punctis nimirum ab animali venefico, vivente adhuc, labris, palato, guttureve; quis autem suis duntaxat oculis fidere assuetus, strenuus de alieno testimonio dubitator, facile referentibus credat, vivas adhuc araneas, neque tot viribus tritas, ad ventriculum

(1) *Labat Voyag. ubi de la maladie de Siam.*
(2) *Henriade liv. III.*
(3) *Philos. Transact. num.* 418. *&* 420.
(4) *Mead in praefat. Op. toties laudati pag.* 44.
(5) *Hist. Acad. R. scient. an.* 1707.
(6) *Borell. Cent.* 1. *observ.* 81. *& alibi, aliique apud Lindestolp. de venen. pag.* 190.

lum usque cum herbis ciboque intactas, & sine strepitu permeasse, vel ab aliis potius mortem causis, & inobservata, ut saepe fit, origine contigisse? At quae novum quoddam & peculiare araneorum virus commendant historiae, eae sunt, quae homines exhibent a combustorum araneorum fumo, halituque, deliquiis, & lethali praecordiorum angustia correptos (1). De eo, quo aranea venenum eicit instrumento, multa variaque disceptatio est inter celebriores eius bestiae vel mortuae dissectores, vel viventis observatores. Lewenoekius, qui autoritate microscopiorum suorum, ceteris olim silentii legem nescio quam imponentium, libros suos portentosa rerum tenuissimarum descriptione complevit, instrumenta quibus nocent araneae describit, forcipes duos uncos, acutos, tenues, ex ore prodeuntes, & sub apice ad veneficum succum emittendum cavitate instructos; sed in eam opinionem Lewenoekii vel oculos, vel mentem adduxit instrumentorum in ceteris animantibus lethales succos effundentium similis structura, cum revera fissura destituantur forcipes ii, & e tenui quadam proboscide ex ore prodeunte toxicum emittatur, quae eo ipso momento foras extruditur quo sugenda, vel ferienda animalia araneae forcipibus constringuntur. Non aeris duntaxat, & primae telluris superficiei, sed & profundiorum terrae viscerum incolae sunt araneae. In fodinis quippe, argentariis potissimum (2), tenuissima latent animantia araneis similia, quae ex Solino lucifugas araneas Agricola nuncupavit. Fortasse tamen nihilo minus a metallicis effluviis, & pernicioso gravissimi aeris afflatu, quam ab araneis hisce mineralium fossori pertimescendum est. Quod enim spectat facetos quosdam, levissi-

(1) *Vid. supra ubi de actione veneni.*

(2) *Ramazzin. de morb. artif. cap. 1. de morb. metall. foss.*

vissimosque daemunculos in nonnullis, Germaniae praesertim, fodinis certo visos, permanentesque (1), dicendum certius est suam eos alibi sedem constituere, & neque coelo, neque metallo Germanico delectari. Immane spectaculum est, & diis illis fortasse voluptuosum, qui oblatarum olim virginum sanguinem delicias fecerunt suas, quanto invicem odio furiisque decertent araneae. Nam sex aut octo in exiguo veluti carcere, ex. gr. sub scypho vitreo detentis, excussae statim cutis, membrorumque fragmenta certamen indicant, eo protrhaendum, quo usque mutuis singulae vulneribus cadant, unusque in proelio ultimus victor inflictis a tota turba, quin & a se ipso ictibus extinguatur. Quae minus noxiae sunt innumerae propemodum vulgares araneae, puncti animalis sanguini liquidum quoddam infundunt, non aliter ac vespae, axilli boum, apes ipsae (2), animalcula sanguisuga multa, aliaque, quorum plurima non morsu, quae vulgaris opinio est, sed aculeo, instillato sub cutem liquido, cutem ipsam in tumorem inflammatorium attollunt actione epispasticis medicamentis analoga. Quin & similem simili modo praestant effectum insecta gallas in arboribus excitantia, aliave eiusmodi vitia, tumorum numero classique inserenda, quin & ipsi urticae aculei, quos animantium aculeis agendi modo simillimos Physici deprehenderunt (3).

Ex aranearum classe phalangium in Etruria nostra singularis variique morbi autor est. Ab eo punctos violenta

---

(1) *Kircher Mund. subter. Agricola de re metall. aliique.*

(2) *Hist. naturel. des Abeilles &c. Paris* 1744.

(3) *Hook Micrograph. observ.* 34. *Vallisnieri lett. al P. Giorgi, ibi . . . . non aculeo laedit urtica, sed liquore corrosivo ab aculeis expresso, & in vesicula quadam contento, quae in ipsis aculeis sedem habet.*

phrenitide diebus octo perculsos vidimus, alios frequentissimo diuturnoque vomitu, alios locali gangraena, alios vago cutis exanthemate, raros incerta quoque mortis causa, obiisse, nisi qui fortasse molliori in parte quapiam, in labris ex. gr. phalangii ictus exceperint. De animalibus ab eo insecto punctis, ovibus maxime, plures referuntur lethales historiae. In agro praesertim, campisque fervidioribus, id usuvenire novimus, cum sub profunda tellure lateant phalangia patente ad exteriorem terrae superficiem foramine, facile a cautioribus rusticis indicando. Multa sunt tum apud veteres, tum apud recentiores exempla hominum, qui a veneficis animalibus, araneis praecipue, puncti, ridenti ore hilarique vitam cum morte commutarunt, vel perpetuo fletu, lacrimisque liberae voluntatis arbitrio non elicitis. Aranearum & scorpionum genera quaedam, precipue apud Albanos & Hiberos, homines necant ridendo, flendove, ait Alexander ab Alexandro (1). Ea omnia physicae consonant veritati, quae peculiare quoddam Philosophis revelavit delirii genus cum spasmo cynico affine in morbis a diaphragmatis vitio profluentibus, vel musculorum genis, orique inservientium. Duos praecipue a phalangio punctos in Etruria nostra libuit observare, quorum alterum in crure, alterum in gena sub ipsum Septembris initium male affectos eadem morbi periodus, effectusque singulis annis invaserunt; alterum per annos septem, post quos convaluit, alterum per annos quinque, quo demum tempore novo morbo, phtysi nempe succubuit. Quot annis igitur emergebat dolor affectae partis, ruborque, diffusus toto corpore pruritus ingens, febris ad quartum vel quintum diem, aliquando & vomitus. Exigui vulneris semper nota superfuit. Adeo abstrusa sunt, neque tamen in dubium revocanda periodicae naturae miracula! Nam quis ab admiratione sibi tem-

(1) *Genial. dierum lib.* II. *cap.* 18.

temperet ſi de paroxiſmo apoplectico ſermonem audierit ſingulis diebus Dominicis certo tempore tertium recurrente (1)? Si illuſtrem illum, non ſaeculi modo ſui, ſed omnium aetatum genium, Baconem Verulamium in deliquia concidentem viderit, quotieſcumque Eclipſi Luna ſuccumberet, quarum plurimas neque ipſe ſciret, neque praevideret (2)? Si apud Liſterum (3) de homine audierit, quem tribus integris annis poſtquam a cane demorſus fuerat bene ſe habentem, ſeptimo die, toto triennio rabies invaſit? Si ſeptimanam, ut illa eſt, febrim integris XVIII. annis periodicam apud Ludolfium offenderit (4)? Si eamdem ferme & apud Plinium? Si denique inſigniora plura, & omnino admiranda periodici curſus portenta ex Meadio mutuetur (5)?

Sed ex araneis nulla Philoſophorum adeo mentem occupavit ac Tarantula, in Apuliae praeſertim campis perniciosiſſima, cum alibi translata vix noceat, quaeque montes Apuliae finitimos incolunt tarantulae, quacumque demum tempeſtate pungant, Baglivii teſtimonio innoxiae ſint (6). Ne res longius producatur, tarantulae deſcriptionem, ſtructuramque praeteream alibi reperiundam. Recurrentes facile ſingulis annis veneni illius effectus ſunt, eodemque ſemper remedio profligandi. Primi revertentem tri-

---

(1) *Acad. nat. curioſ. Tom. IV. obſerv. 75.*

(2) *Vie du Chancelier Bacon compoſée par ſon Chapelain.*

(3) *Tract. de hydrophob.*

(4) *Miſcell. Berolinenſ. Tom. IV. pag. 8. de febri intermitt. octana 18. annos durante.*

(5) *De imperio Solis & Lunae.*

(6) *Ea in re uti & in aliis pluribus (quae hiſtorice duntaxat & ad antiquae opinionis cognitionem adducimus) Baglivium, alioſque a veritate abſuiſſe egregie demonſtrat Franciſcus Serao lection. infra laudandis.*

tristis anni periodum sentiunt aegri (1). Nullum vero est tam rarum, tam singulare phaenomenon, quod in tarantulae historia non offendas; vel enim vario tarantularum genere, vel infectorum corporum diversitate, vel admirationis conciliandae studio factum sit, peculiares veneni illius effectus unusquisque pro arbitrio, ut videtur, suo ita descripsit, ut pluribus illuserit (2). At praecipuam sibi vindicat admirationem peculiare quoddam delirii genus, quo tarantati in ridiculas agendi vias deferuntur (3). Admirabilis morbi historiae cumulus adcedit ex admirabili prorsus & remedii historia. Solutos quippe languidosque tantus musicae, diversos diversae, furor occupat, ipsos ut spectatorum oculos velocissimo & diuturno saltationis genere defatigent. Exinde reviviscunt: musicaene, sudorisve, aut choreae merito in ancipiti res est.

Musicarum oscillationum tenuis etiam contemplatio in ea nos opinione confirmat, ut a tremulo illo vibrati aeris impulsu effectus quidam in corpora necessario exerantur. Specula concentuum vi diffracta, resilientia in figulorum officinis vasa, murorum tremores, reboantium locorum historiae, Mersenniani soli notissimus veluti terraemotus, ad eius instrumenti sonum, quod Italice organum dicimus, aliaque plurima adeo manifestam exhibent musicae actionem in corporibus anima destitutis, inutilem ut operam navare me duxerim ea de re disputaturus (4). Quam autem & animantium corpora vis ipsa com-

(1) *Epist. Dominici Sangeniti apud Misson, Voyage d'Italie Tom. IV. qui hisce utitur verbis. Si accorgono di esser venuto il tempo di pagar il tributo alla loro morsicatrice.*

(2) *Giornal. d' Italia, Hist. della tarant. ex Sanguerdio. Valetta de phalangio Apulo. &c.*

(3) *H. Grube de ictu tarant. Art.* 4. *Sect.* 2.

(4) *Histoire de la Musique, & de ses effets depuis son origine iusq' à present &c. à Paris* 1715. *Videatur quo-*

complectatur, non solum superius adducta ratio confirmat, sed & infinita scriptorum testimonia. Quis enim in vesicae actionem tam singulares Musicae effectus deprehendi posse praedixerit? At ne de equis pluribus loquamur, quibus determinati quidam sonitus urinam cient, equitis illius historia, cui ex phormingis sonu vesica ad urinam reddendam impellebatur, omnium linguas atque ora complevit (1). Validiorem vero in eos esse Musicae vim, qui armonico cuidam studio, motuive diutius assueverunt, docent exempla saltatoris (2) lethargo delirioque in acutae febris incremento correpti, & quorumdam, quibus in optimo valetudinis statu maxime fruebatur, concentuum ope in somnum, atque inde in sudorem, & ex eo in pristinam valetudinem restituti; & musici (3) assidua febre delirioque laborantis, qui determinato quodam, & ab ipso per naturalem velut instinctum expetito cantus genere convaluit.

Cumque ex optima non corporis solum, sed & animi constitutione profluat valetudo, ad utrumque promptum esse Musices auxilium docuerunt Philosophi; nam per sonora instrumenta, quibus obiecti nullius idea coniungitur, quaedam, imperfectae licet, notiones sensusque concitantur gaudii, querelae, furoris &c. utpote quae

quoque Tractatus Physicus de effectibus Musices in corpus animat. aut. Ioan. With. Albrecht. Lipsiae 1735.

(1) *Boyle, Saggio degli effetti de' mali &c. ibi lepida additur ex Scaligero historia de homine, qui ut receptae ab altero iniuriae poenam reposceret, convivio accubantem & involuntariam urinam more suo reddentem ex improviso sonu phormingis consulto illuc adductae, convivarum risui & sibilis exposuit. Vide etiam Ephemerid. nat. curios. observ.* 134.

(2) *Acad. Royal. an.* 1708.

(3) *Acad. Royal. an.* 1707. *pag.* 8.

quae animalium voces imitentur (1). Atque hinc, si non omnium, quarumdam certe historiarum deducenda veritas est, quas de eorum musica antiquiorum aetatum scriptores efferunt, ac precipue quod ad morum animique moderationem pertineret, quos inopportunae hic eruditionis titulo praetermittimus (2), nisi fortasse historiarum illarum laus omnis adscribenda est masculo cuipiam nobilioris musicae generi, quae ab emphatico potius vocum & sententiarum concentu, quam armonia proflueret. Quod enim proprie musicam, seu vocum & instrumentorum consonam unionem dicimus, tanti non erat apud veteres, quanti ea quae nostris hisce temporibus illecebrarum plena, voluptati duntaxat excitandae destinatur (3). Hinc nonnihil fortasse vel hyperbolici, vel allegorici inesse suspicamur plurimis, quae de veteri musica referuntur testimoniis (4). Ac plura certe quae mediocres animi concitarant affectiones, musicae nimis efferendae studio parum accurate in medium adducta sunt, & singulare prorsus rarumque est quod de Henrico IV. Daniae Rege protulit Albertus Krantsius (5) qui experimentum in se ipso subire cupidus, an vera de se musicus quidam praedicaret, qui homines in somnum, iram, gaudium &c. quoties libuisset adducturum se facile gloriabatur, musicis eiusdem concentibus adeo in furorem,

(1) *The Spectator num. 416. vol. VI. edit. Lond.* 1733.

(2) *Is. Vossius de poemat. cantu, & rhytmi virib. Kircher Phonurg. Lib.* II. *Sect.* I.

(3) *Oeuvres diverses de Physique & de Mechaniq. de Mrs. C. & P. Perrault Tom. II. &c. quidquid contra sentiat Calmetius Dissert. de musica vet. Haebreor.*

(4) *The strange effects reported of the ancient Musick examined by D. Wallis.*

(5) *Apud Dom. Baudelot de Bairval liv. de l'utilitè des voyages &c. à Paris* 1686.

rorem, de quo experimentum popoſcerat, actus eſt, ut impotens ſui aulicos quosdam pugnis contuderit, de muſica certe nunquam bene ſenſuros.

Quod vero non uno eodemque muſices genere, ſed diverſo diverſi ad ſaltus impellantur tarantati tenuiſſimae apud medicos nullam ullibi obſcuritatem reperientes negocium fuit difficultatis. Explicando namque rei, ſine ulla dubitatione pervulgatae, effectui lucem ſuppeditafunt pendulorum theoriae, chordarum muſicarum exempla, quae chordis duntaxat uniſonis vel ad octavam in próximo inſtrumento tremorem communicant, muſicis impulſibus immutandae fibrarum tenſiones; poſtremo demum ſingulare illud a Kirchero, fidei ceteroquin ſuae prodigo, nullo modo receptum Amſtelodamenſis mercatoris phaenomenon, vitreum vas certo vocis ſono diffringentis (1).

Si antiquioris Medicinae hiſtoriam pervolvimus, occurrent facile ſingularium, qui muſicae tribuuntur, effectuum origines. Ibi morbos quosdam muſicae vi veluti faſcinari ſaepiſſime deprehendemus, & Melampum, Apollinem, Chironem, aliosque tum apud Aegiptios, tum apud Graecos, medicinae ſimul & muſicae ſtudia coniungentes. At qui non purae duntaxat myſticae vocis vi, ſed & armonicae facilius morbi ſuccumberent, ex eorum maxime numero eſſe putabantur, quos animalium virus fecerat (2). Traducta hinc ad recentiores uſque aetates imperioſa veterum ſapientum opinio, incredibili autoritatis ſuae decremento, in ſolo iam tarantulae toxico commendata. Meadium certe, ſcriptorem ſcilicet eruditiſſimum, ſapit elegans obſervatio, vetuſtiſſimum muſicae remedium Pythagorae primo adſcriptum, Coelii Aureliani teſtimonio (3), dubitandi anſam

H

(1) *Danielis Morhofii de ſcypho vitreo &c.*

(2) *Vid. Dan. Clerc, alioſq. Hiſt. medicae ſcriptores.*

(3) *Morb. Chronic. lib.* 5.

ſam exhibere, in iis ne terrae partibus, quae tarantularum patriae ſunt, lycaeum ſuum conſtituerit Pythagoras, quaeque ea tempeſtate audiebant Graecia magna, ibique eius praxeos fundamenta iecerit, quae & noſtris hiſce temporibus perpetua obſervatur, praeſertim cum eius vitae ſcriptor Iamblicus (1) afferat ſaepe eum muſicam in medicina advocaſſe ad plurimos quidem morbos, ſed ad veneficos praecipue morſus profligandos.

At vero a portentoſis tarantulae hiſtoriis abripi ſe non ita facile ſinet quicumque noverit, vel eius regionis medicorum teſtimonio (2) ſine tarantulae morſu, melancholicae mentis vi, nonnullos frequentiſſime in ea ipſa delabi ſymptomata, quae a tarantulae ictibus illata intuentium ad ſe rapiunt admirationem, plurimosque non infrequenter ſub Apulo, vicinoque coelo tarantulae adſcribi effectus a cauſis omnino diverſis manifeſto profluentes. Quin ſi eos, qui de tarantula ſcripſerunt, attente pervolvas, tanta eius veneni phaenomena ſunt, ut nullum ferme ſit cuiuscumque morbi ſymptoma, quod ab eo veneno non excitetur. Vt ergo conſtet luculentius quantam de iactatis hucusque tarantulae prodigiis ſuſpicionem adduxerint ii ipſi qui ea de re tanquam certiſſima diſſeruerunt, oſtendam ab ipſamet eorumdem hiſtoria, doctrinaque, argumenta facile deduci poſſe, quibus rei eiuſce veritas vel difficultatibus exponatur plurimis, vel omnino dilabatur. Qua in re Baglivio illuſtriorem adducam neminem. Is itaque aſſerit Apuliae non ſolum incolas, ſed & Medicos ipſos malignam ſaepe febrem, & tarantularum toxici effectus minime diſtinguere; aegros proinde muſica choreisque plenos Orco demandare (3). Se-

(1) *De Vit. Pythagor. cap.* 25.

(2) *Perſons ſuppoſed to be ſtung by tarant. by D. Th. Cornelio Phil. Tranſ. num.* 82.

(3) *Diſſert. de tarant. cap.* 7.

Secundo mulieres praecipue, decantatum illud assuetumque portentis animal, dum chlorosi laborant pro tarantatis haberi, & nusquam percipiendos insanientis uteri lusus, & obscoenam furoris uterini famem tarantulae meritis adiungi, & casto musicae saltusque desiderio cohonestari. Quid ultra? iam vel Baglivium ipsum, in tarantulae miraculis adeo diffusum, deprehendes dubitantem, & quae medici perspicacia est, muliebris astutiae conscium, tarantatos asserentem in mulierum coetu fere omnes inveniri, & morbum illum saepissime in musicae, choreaeque gratiam simulari: quin & vulgares, tenebrisque plenas animas lepidam tarantatorum turbam digito indicare, & nescio quod a feminis inventum Bacchanaliorum genus irridere. Asserit tertio scorpionum summum in Apulia toxicum eosdem fere ac tarantula effectus exhibere, iisdemque remediis, musica nimirum saltuque sufferri: unde non pluribus solum morbis, sed & diversorum animantium morsui conferat in Apulia musica, & saltatio. Quarto quod iisdem & Apuli utantur remediis, quae primum apud omnes in veneno locum obtinent, profunda scilicet vulneris incisione, combustioneque, internis antidotis &c. unde non adeo tuta fide Musicae, choreaeque, restitutae salutis gloria tribuatur. Quinto quod tarantulam ipsam musica delectari suspicatur, vel si non delectatur, mechanica tamen necessitate ad musicae sonum subsilire manifesto cogitur (1), idemque in vespa, & in gallo, aliisque a tarantula punctis animantibus usuvenire; unde eius phalangii vi universus iam animalium coetus saltator fiat. Sexto quod ex Apulia Neapolim translatae tarantulae virus subitum fuerit & lethale, musica non solum inutilis, sed nec ullum saltus indicium in puncto cuniculo excitaverit. Neque quod per translatam tarantulam experimentum factum fuerit as-

---

(1) *Cap. X.*

ſeri poteſt ideo inutilem fuiſſe ocioſamque muſicam, cum eaedem, ut ex hiſtoria patet, in veneno vires fuerint, &, quidquid in contrarium de tarantula ſentiat Baglivius, venefica animantia omnia ubicumque translata vires non ita facile amittant ſuas. Quibus addi poteſt experimentum, quod in ſe ipſo tentavit Neapolitanus Medicus (1) qui ſibi ultro parta ex tarantulae puncturis incommoda, & repetitos eorum inſultus, repetitis duntaxat partis infectae ſcarificationibus avertit. Septimo quae ſub eius diſſertationis finem exhibentur hiſtoriae, plures ſine muſica, quam per muſicam, curatos aegros deſcribunt. Octavo demum quod in toto diſſertationis curſu alienam magna ex parte relationem traducit Baglivius.

Quae omnia in Baglivii libris occurrentia, aliaque apud alios, in ſummam me ea de re dubitationem adduxerant, cumque de ſincera tarantulae hiſtoria curioſe percunctarer ex Apulia reducem P. Antonium Michelium, cuius immatura mors triſte omnibus tantae mentis deſiderium reliquit, plurimum & ille in eo morbo, quem obſervaſſet, ineſſe fraudis aſſeveravit: unde in ipſis quas anno 1737. Piſis edidi theſibus, dubiam expoſui morbi huiuſce fidem. Optandum itaque erat ut exornandam ſuſciperent provinciam illam ſapientes viri plures, iique non doctrina ſolum, ſed integritate, prudentiaque ſpectatiſſimi, eorum memores praeceptorum, quae de irrito experimentorum ſucceſſu tradidit Boylius, neque alienis unquam, ſed ſuis, iisque repetitis fidentes experimentis. Mirum eſt enim quot undique aſſurgant impedimenta, cum vetuſtiſſimam & omnium linguis & opinione ſuffultam rei cuiuſpiam fidem dubio examini ſubiicere Philoſophi meditentur: quae ſint vulgarium animorum odia, fabulaeque: quantae in ipſis etiam, veris licet obſervationibus praeoccupatae menti nubes aſ-

ſur-

(1) *Hiſt.* VIII. *cap.* 9.

ſurgant. Hanc ergo provinciam doctiſſimis de tarantula diſſertationibus editis impleviſſe gratulamur Franciſcum Serao Neapolitanae Academiae lumen ampliſſimum. Is virus illud, de quo tot uſque adhuc portenta invaluerant, in hypocondriacam affectionem Apulis peculiarem inexpectata metamorphoſi convertit, & ſcriptorum ea de re ſententiis hiſtorico ordine criticoque pervolutis, familiares plurimorum errores diruit, Baglivii praeſertim, qui non ſolum in morbi hiſtoria remedioque, ſed in anatomica quoque tarantulae doctrina a veritate abfuit non infrequenter. Quin &, converſo in hypocondriacum venefici quondam morbi charactere, de ipſo quoque tarantulae nomine contendit erudite, quam non a Taranto, ſed ab animalculo Tarandos appellatam velit. Quid enim doctas autoris eiusdem dubitationes exponam de hermaphrodito tarantulae ſexu? Quid de ſingulari animalculi huiuſce fecunditate (1)? Sed egregiae ſupralaudati Scriptoris diſſertationes conſulendae ſunt, ne vel alienam crambem recoquere, vel omiſſa tot elegantiſſimarum obſervationum ſerie clariſſimo viro detrahere videar, cuius doctrinae comitatisque, dum Florentiae eſſet, perennis erit ſemper & iucundiſſima recordatio.

Qui exploſo iam admirabili tarantularum veneno celebrem reddiderunt Apuliam, ii ſimili quoque ſcorpionum toxico celebrari contendunt; nam ſub Apulo coelo, minus licet quam ſub Africano, ſcorpios nocere docent, idemque ac tarantula remedium deſiderare (2). At vero quod ex ſcorpionum genere ſub Italo coelo reliquum eſt, vel tenuiſſimae, vel nullius efficaciae virus obtinuit, licet non deſint pauca quaedam in contrarium apud

---

(1) *In un ovaia, o bozzolo tenuto per qualche tempo nell' acquavite, e poi aperto, ſi ritrovarono 825. tarantoline ſchiuſe e morte. Lez. I.*

(2) *Baglivi Diſſert. de tarantula.*

apud ſcriptores exempla, ex quibus maxime adnotandum eſt quod ab Joſepho Lanzonio memoratur de Eliſabetha Turſania, quae in ano a ſcorpione puncta lethalis ilei vi occubuit (1). Qui igitur & veneni & corporis amplitudine reliquis antecellunt, Aegiptii ſcorpii ſunt, atque Tunetani. Scorpionum vero omnium cauda, quinque ut plurimum, aut ſex vertebris conſtat, quarum ultima in globulum deſinit, globulus in aculeum recurvum, quo animantium corpora facillime penetrantur (2). Vti vero notiſſimum eſt eo maxime caudae aculeo virus omne diffundi, ita humanorum ſenſuum imbecillitate ſummae diſputationis fuit, extremam ne aculei partem an latera occuparent foramina veneno eiciendo inſervientia. Vnum ſcilicet eiusmodi foramen eſſe ſupponitur in extremo caudae apice, Redii, tria in lateribus ſub ipſo apice, Lewenoekii & Vallisnerii ſententia, quam inſtituta in Academia Bononienſi obſervatione confirmat clariſs. Vir. Ant. Ghedinus (3). Duo haec eſſe duntaxat in extremis aculei lateribus deprehendit Maupertuiſius (4), quae quidem & ſine microſcopio conſpici facile poſſint compreſſo ſcorpii nodo ampullave, ex qua compreſſione guttulae in extremis lateribus aſſurgant duae. Atque hic adnotandum erraſſe eos qui Redium accuſarunt, unius veluti in extremo caudae apice foraminis adſertorem. Quod quidem nunquam ſe inſpexiſſe more magnorum virorum ſincere profitetur Redius, ſed ex guttula ſuppoſuiſſe apparente in ſolido quodam corpore, in quod irritatus ſaevierat ſcorpius (5).

Quod

---

(1) *Miſcell. curioſ. decad.* 3.

(2) *Swammerdam Hiſt. inſect. pag.* 144.

(3) *Comment. de Bonon. ſcient. & art. inſtit. Tom.* 1. *pag.* 107.

(4) *Memoir. de l' Ac. R. pour l' ann.* 1731.

(5) *Eſperienze intorno agl' inſetti pag.* 54.

Quod si forte causam sciſciteris, qua in lateribus potius, quam extremo aculeo foramina illa conlocentur, ea videtur verosimillime, quod perforatus aculei apex neque acutum, neque subtilem, sed debilem redderet aculeum, quique ab ipsa punctae carnis resistentia facile clauderetur. Quae & de vipera differentes animadvertimus.

Formicas notum est inertibus, ociosisque exemplo ad expedite agendum exhiberi, cum illas hiemis veluti timidas frumenta inquirere observemus, licet ea de re quaestionem nonnullis incusserit fortasse varia iis ostendens observatio, de qua differant alii. Longo quoque temporum intervallo austeri Catonis & Stoicorum veluti placitis addictus αὐτοχειρίαν docuit legum nescius Scorpio. Siquidem carbonibus si circumobducatur, eius contemptor elogii, quod fortius faciat qui esse miser potest, lentae mortis impatiens, aculeum in se vertere creditus est, & animae prodigus suae aculei ipsius aut veneno, aut vulnere extingui. Rem vulgi oculis bellam, & a plurimis naturalis historiae scriptoribus confirmatam, gravissimae autoritatis doctrinaeque vir Maupertuisius in dubium revocavit (1), quin & recepti omnibus erroris experimento detexit originem. Neque enim circumfusa scorpius flamma aculeum in se infert, sed elata duntaxat cauda conversaque undique furit, quod illi quamcumque sentienti molestiam consuetum & vulgare est.

Vidimus serpentes sacrum Arti Medicae σύμβολον veneficorum animantium classem occupare: iam vero & alia proferemus animalcula, quorum ceteroquin frequentissimus est in medicina usus, venenis pariter adnumerata. Hirudo ea sunt atque Cantharides, & fortasse alia, non dissimili a vegetantibus & mineralibus ratione, quorum nonnulla, licet venenorum generi adscripta, in medicos tamen usus efferuntur. Cantharides, foe-

(1) *Loco supra citato.*

foetentium scilicet muscarum, vel scarabeorum genus, volatili sale urentis acerrimae indolis (1) canales potissimum urinarios ingenti stimulo contorquens, ipsumque non infrequenter sanguinem ex hisce tubulis educens. Neque id ab interno duntaxat usu contusi pulveris accidisse novimus, sed & a confricatae cutis contactu, ipsisque manu diutius detentis cantharidum carnibus. Quamvis autem absolvendis a veneni culpa cantharidibus favere videatur vulgaris in vesicantibus constituendis formula, tamen & obstant maxime prolata contra vesicantium ipsorum effectus iurgia, & medica Saeculi XVI. historia Freindium certe defensorem desiderans (2), & iisdem adversa gravissimorum Medicorum testimonia, qui Malpighio duce Monachis patientem Christum diligentibus facete praescribenda esse monuerint, herdesque vesicantium patronos testamento privaverint (3), & notissima illa duodecim argumenta, quae cantharidum famae inimicus extulit magni nominis vir Antonius Vallisnerius (4), & Tournefortii autoritas admonentis iisdem in cantharidibus ac in arsenico assumendo cautionibus insistendum (5). Quae omnia suspectas licet reddant cantharides, tamen tanti non sunt ut vesicantium usum penitus excludant, cum & violenta quaedam caute ac diligenter adhibita convenire aliquando possint, & validiorum remediorum communis ut plurimum fortuna fuerit, ut insigniorum neque indifferentium, quas in corpore

(1) *Cockburn Epist.* LXX. *pag.* 236.

(2) *Nam eo saeculo acerrimae disputationes insurrexerunt contra cantharides, in quarum laudibus, usque largus est Freindius in Hist. medica.*

(3) *Battaglin. Annal. Tom. IV. pag.* 468. *aliique plures apud clariss. Janum Plancum Dissert. de vesicant.*

(4) *Op. Tom. III.*

(5) *Mat. Medic. lib.* 1. *cap.* 13.

pore suscitant, mutationum vi male exhibita, funestos pepererint effectus, ex quibus tamen non modo aliquam prudens Philosophus remediorum illorum deprompserit accusationem, quin eo maxime titulo laudanda & vera esse remedia censuerit. Cum vero de cantharidibus duntaxat apud nos quaestio sit, veneficas iisdem inesse qualitates non inficiamur (1), caute licet adhibitas innoxium habere titulum ipsa confirmarit antiquitas easdem exhibens interno apud Hippocratem usu indicatas ciendis mensibus, secundinae expellendae, hydropi, icteritiae fugandae &c. & apud Aretaeum externo usu ad elevandas in cute vesicas. Quid quod & singularia ex iis remedia percipi posse praxis medica demonstravit, cum tritas in pulverem cantharides infantum epilepsiae utilissimas praedicet Mercurialis (2), urinae suppressioni Tournefortius (3), venerei officii impotentibus Platerus, rabidis Freindius, Meadius, Spilembergius &c. ne quid dicam de optimo, quod in vesicantibus aliquando praestant, beneficio. Nimis quippe nostra in cantharides elogia producerentur, si & amatoriam quam iisdem nonnulli adscripsere vim in medium adducerem, quam aliquando non alia ratione praestant, quam qua medicamenta omnia aphrodisiaca, orgasmon quemdam, stimulumve in partibus Veneri sacris excitando.

Quod autem cantharides in medicos usus advocentur tanti non est, ut eas a veneni pernicie tituloque liberet, cum & venena plurima prudentis cautaeque methodi cuiuspiam praeceptis in medicina adducantur. Vide, sis, quem de virtute venenorum medica librum edi-

---

(1) *Pomet. liv.* XI. *il est defendu en France aux apotiquaires de vendre les cantharides, nisi noscant emptorem, aut certo sciant externo illas usui designari.*

(2) *Lib. II. de morb. infant. cap.* 3.

(3) *Usage des medicamens.*

dit Melchior Friccius (1), & antiquiorem materiae medicae apud Florentinos librum, quem vulgo Receptarium vocant, anno 1622. typis editum, in quo vesicantibus componendis arsenicum & sublimatum adiungitur, quod tamen ad ampliorem salutaris scientiae gloriam in ultima eius libri editione sublatum est. At vero in venenorum laudes nimius fortasse est supralaudatus Friccius, dum salutarem medici characterem induens, eximius eo ipso tempore venenorum laudator, arsenico similes ac Kinae cortici vires tribuit, quae tamen & aliorum medicorum fuit sententia, & praestantissimum in eo febris, pestis, putredinum omnium remedium designat. Adeo cum fata volunt & venena iuvant!

Baglivii experimento didicimus cantharidum pulverem animalium venis infusum mortem inferre (2), admixtum educto hominis sanguini sanguinem figere, in tota superficie nigras vesiculas evehere, quae per se dissilientes atram limpham emiserint: longo dein tempore totus sanguis in nigram abiit, & livescentem veluti seri copiam. At immixtus puro & a reliqua substantia secreto sanguinis sero, extrema vasis occupavit pulvis, & colore purius serum naturam induit liquidiorem, neque facile concrescentem. Ab ea Baglivii observatione differt quam maxime quod accuratis notat experimentis illustris Bononiae Philosophus Joseph Verattus; nam a cantharidum pulvere (3) sanguinem rara seri secretione concre-

(1) *Vlmae* 1701. *Vid. etiam Nerucci Lett. contro il Sig. Bianchi pag.* 192. *& quae in operibus Vallisnerii extat notitia simplicium quorumdam a Spoleto Prof. Patav. Constantinopoli allatorum, & quomodo arsenicum praeparatum ibidem in usum medicum adhibeatur, praeter ea quae extant in differt. clariss. Jani Planci contra vesicant.*

(2) *De usu & abusu vesicantium.*

(3) *Comment. Acad. Bonon. Tom.* II. *part.* 2.

crescere deprehendit; serum vero non liquidius fieri, ut Baglivio visum est, sed densius, & ad ignem subito concrescens: quod & cetera vesicantium componentia acria, euphorbii succus, sinapi semen &c. praestiterunt. Vnde nullam in eo pulvere vim reperit dissolventem. In quo tamen adnotandum, quod tentata in quiescente fluido experimenta ad circulantem sanguinem traducenda sunt.

Si inest quidpiam in cantharidibus quod veneni naturam redoleat, at de hirudinibus non idem profecto sentiendum est. Eas primo, si non usu, scriptis saltem in medicina protulit methodicae Sectae princeps Themison ille, per quem ridet Juvenalis Satira (1). Quod autem asseruerint aliqui (2) tricuspide, seu triangulari hirudinum aculeo nocentem in vulnus succum emitti, at ex illarum frequentissima mollioribus etiam corporis partibus adpositione, nullam aegris perniciem insurgere medicinam facientes observant quotidie. Sed esto noxius triangulari aculeo succus emanet, certum tamen est eo ipso momento, quo venenum emittitur, emisso veneno remedium succedere. Nam per subsequentem hirudinis suctionem è laceratis canalibus non contenti solum eliciuntur humores, sed & quidquid a morsu puncturave animali infusum est. Hinc non solum in veneni suspicionem adduci non possunt hirudines, quin & veneni potius tanquam remedia commendentur, & Psyllorum Marsorumque apud nos officio succedant. Ampliora in hanc sententiam occurrerent argumenta, si eorum praeceptis insisteremus, qui nullo hirudines aculeo cutem perforare crediderunt, sed vel solida quadam tuba (3), vel innumeris musculis, quibus interna gulae superficies obdu-

(1) *Quot Themison aegros Autumno occiderit uno.*
(2) *Santorinus de haemorrhoidib. pag.* 45.
(3) *Pauli Bocconii Curiositates Siciliae &c.*

citur, magna vi contractis cutem adeo violenter exſugere, ut in ea ſingularem tenuiſſimorum canalium excitet lacerationem. At vero quem ex Santorino ſupra nominavimus tricuſpidem, vel triangularem aculeum, accurata in hirudinibus obſervatio demonſtrat. Ab extremo quippe interno ore triplum hirudo eicit inſtrumentum, quo tria imprimuntur vulnera in molli cute poſt tres quatuorve ab adpoſitione dies manifeſto conſpicienda (1). Inſtrumentum hoc in extremo palato egregie deſcribit Allou Cartuſianus, ceu tres dentium ſemicirculos muſculis tribus inſiſtentium, iisdemque rotatorum, quibus cutem ſecent hirudines (2). Elegantiſſimam apud eosdem ſcriptores offendes organi deſcriptionem, quo dum hirudo ſugit, adeoque in aere veluti ſuſpenditur, incredibili vi ſugendis corporibus adhaeret. Licet vero aliqui ſint de hirudine Poupartii errores, tamen multa illi pro illuſtrata hirudinum hiſtoria laus iure optimo concedenda eſt (3). Qua opportunitate plura in erudito autore deprehendes de hermaphrodito hirudinum ſexu: penem ſcilicet eo in loco, quo collum ſitum fuerat, in interiori corpore per foramen quoddam ad eiusdem voluntatem reponi, & circa penem ſpatia conſpici, in quibus fortaſſe deponitur fecundans humor, quo ſe ipſam multiplicat; quo documento confirmabitur hiſtoria locuſtae hermaphroditae (4), & Hombergii ſingulares in Inſecta obſervationes, ubi vermem ſibi ipſi coniungi, patrisque ſimul matrisque muneri praeſto eſſe demonſtrat, & alterius
Pou-

---

(1) *Morand Memoir. de l' Acad. R. pour l' année 1739. pag. 189. Dillenius in Ephemer. curioſ. nat. cu.* 1718.

(2) *Ibidem & apud Reaumur Memoir. des Inſect.*

(3) *Hiſtoire Anatomique de la Sangſue par M. F. Poupart.*

(4) *Tom. V. Tranſact. Philoſoph. Italice verſarum*.

Poupartiani operis veritas fiet evidentior (1), quo limacem utriusque sexus officio fungi docet ovario simul & testiculo a natura instructum, & insignior celeberrimi Heisteri observatio, qui naturae notat opus in limace eo tempore quo in Venerem fertur, spiculum quoddam durum atque crustaceum efformat, quod deinde per se ipsum decidit (2). Neque ab hisce dissimiles sunt, ab Hombergianis praecipue vermibus, polypi aquae dulcis, quos etiam paterno maternoque muneri inservire ostendit Trembleius (3), aliaque insecta plurima admirabilis viri Reaumur, aliorumque observatione ex se dissectisque partibus, non aliter ac plantae quaedam, novam vitam adquirentia; unde & ipsi intestinorum vermes, non contemnenda quorumdam sententia, ea ipsa methodo perpetuam in animalium corpore suscitare familiam reputantur. Postremo quis hermaphrodito non hirudinum modo, sed aliorum quoque animantium sexui fidem neget, qui naturali historia edoctus, noverit formicarum, apum &c. genus tribus diversis sexibus instructum? At nimis iam in hirudinum gratiam ab instituto divertimur.

Expositae cantharidum doctrinae inserendus quoque aliquo pacto est Buprestis, cui non dissimilem a cantharidibus salem causticum inesse cognovimus. Bubrostem vocat Barnabas Brissonius (4), Bubrestem & Duprestem Joan. Calvinus (5), quo potius Buprestem intelligit, cum

(1) *Analyse des vaisseaux prolifiques du limaçon de jardin.*

(2) *Heister. de cochleis.*

(3) *Memoires pour servir à l' histoire d' un genre des polypes &c.*

(4) *De verborum, quae ad Jus pertinent, significatione. Lipsiae* 1721.

(5) *Lexicon Juridicum &c. Coloniae Allobrogum* 1734.

cum ad literam D. nulla ſit vox illa. Vulpeſtrem Vegetius (1) Bubliſtem & Buſtavarim alii. Celeberrimi apud Juridicos & Medicos veneni animal, de excitata nimirum boum peſte non infrequenter in ſuſpicionem adductum. Rarum ſub Italo coelo animal, ſcarabeo ſimillimum, quo a bovibus devorato (2) in furorem boves agi, intumeſcere, mori dicuntur; at morſu, puncturave fortaſſe nocet violentius. Neque boves duntaxat, ſed & animantia cetera, homineſque ipſos bupreſtem faucibus abſorbentes eadem invadit lues (3) tanto viventium corporum periculo, ut id beſtiolae propinantes capite, & poena Legis Corneliae mulctatos aſſerat in Pandectis Budaeus. Qui, ſi non adeo pernicioſam, aliquam tamen Bupreſti noxiam ineſſe qualitatem conſentiunt, eum a crimine illatae bovibus aliquando peſtis abſolvunt; quorum numero adſcribendus eſt egregius bovillae peſtis ſcriptor Jo. M. Lanciſius, qui oblatum Pontifici ſupplicem ab Juriſconſulto libellum, in quo bovinam peſtem Romanae ditionis imperium devaſtantem bupreſti tribuendam putat, plurimis iisque validiſſimis diruit argumentis (4). Bupreſtis epidemicos morbos inferre crediti contemplatio ad eorum ſententiam expendendam nos adduceret, qui atrocem quamcumque hominum animas abſorbentem peſtilentiam, ab infeſtis animantium quorumdam turbis exoriri putaverunt; cum tamen id genus veneni non natura in animantibus, ſed contagio comparetur, adeoque inter venena adquiſita locum habeat, alterius Diſſertationis noſtrae partem conſtituet.

Bu-

(1) *Veterinar. Lib. III. cap.* 15.

(2) *Alexand. ab Alexand. genial. dierum Lib. II. cap.* 10.

(3) *Vegetius artis veterin. Lib. III. cap.* 78. *Jacob. Grevin. de venen. cap.* 11.

(4) *Lanciſius de bovilla peſte part.* 3.

Bufonis quoque, seu Rubedae, ignotum nomen non est in animalium illorum classe, quae veneno instructa perhibentur. Licet autem tantus sit bufonis horror, ut alii in ipsa illius urina (1), alii in sanguine, spuma, morsu, contactu (2), alii in totis carnibus cibo sumptis venenum inesse docuerint, dubia tamen gravissimis scriptoribus toxici huiusce fides est, incerta cognitio. De infante loquitur tamen Redius (3) qui lapides in bufonem eiciens contusi animalis succo resiliente in labris singulari in iis tumore affectus est. Neque tamen idcirco veneficos illustris Autor vocat bufones: cui & consentit Vallisnerius, qui ex comeso bufone labra, linguam, gulam exulcerari docet. At diverse res se habere potest infusa per venas bufonis saliva, aliove liquido. Nam licet dentibus bufo, ut aiunt, destituatur, tamen gingivarum duritie, & inaequalitate salivalem succum sub cute inicit, non aliter ac humani etiam vermes Raii testimonio (4) carunculis quibusdam dentiformibus tunicas lacerant intestinorum. Quod autem de maximo ex irritato animali prodeuntis salivae alteriusve liquidi toxico assertum est (5), id quoque apud neotericos diligenti observatione celebres nullam habuit fidem. Vt ergo vel in ipsa Physicae historia, in experientia ipsa dubitationi locus aliquis perpetuo relinquatur, doctissimorum hominum exempla passim occurrunt, qui herbas, salviam praecipue, quam amat maxime bufo, illotam comesam lethalem fuisse asseverant, sub qua deinde bufones inventi, qui urina, succove quocumque illas, aut spuma infe-

(1) *Joel Oper. medic.*
(2) *Forest. Observ. medic.*
(3) *Philosoph. Transact. abrig. Tom. II.*
(4) *Lib. de insectis.*
(5) *Agricola de animal. sub terra latentibus.*

fecerant (1). Hinc rutam bufonibus inimicam, prope salviam, ne sub ea lateant, disponere consueverunt hortorum cultores. Quin aerem ipsum, in quo bufones multi vixerint, pulmonibus infensum profert Valentinus (2). Quodque omnino singulare est, gonorrhoeam ab ipsius veneno exoriri docet Ionstonus (3). Quidquid vero illud sit, tantus fuit semper bufonis horror, ut nulla alia fortasse de causa, quam a diffusa hac in vulgus opinione factum fuerit ut Joan. Boccaccius, cuius ore Etruscae loqui Gratiae consueverunt, luctuosam Amantium duorum sortem exponat, qui confricatis salvia, sub qua lateret bufo, dentibus, uni ambo eidemque fato cesserunt (4). Postquam enim lepidissimi huiusce scriptoris fabulas ignota olim historiae luce conlustravit Mannius noster, cuius elegantes typos propria exercet scientia, & fabulae huiusce veritas naturalibus satis superque non consonat documentis, vel quidpiam in ea diversitatis inesse suspicandum est, vel plurimum vulgo receptae opinionis (5).

Singulare est quod de genere quodam bufonis aquatici feminae notat Albertus Seba (6), quod scilicet prolis suae generationem raro exemplo in cute dorsoque com-

---

(1) *Rondelet de piscib. Schenkius Observ. medic. Lib. VII. de rubedarum seu bufon. virulentia, aliique plures.*

(2) *In Pandectis Medico-legal.*

(3) *De quadrupedib. pag.* 132. *ea est & Nicandri opinio in Alex.*

(4) *Decameron. di M. Gio. Boccaccio Giorn. IV. nov.* 7.

(5) *Ved. Ist. del Decamer. del Boccac. stampata dal Sig. Manni in Firenze* 1742. *cap.* 40. *pag.* 294. *ibi, il parere sopra questa novella del Sig. Dottore Giovanni Targioni.*

(6) *Locuplet. rer. natur. Thesaur. Tom. I.*

componat, nullusque maris femini pateat aditus quam per dorfum, quo peculiaribus poris pellem inter & periostium inferatur. Neque fingulare minus eft quod de bufone vivo, arbori per annos plures inclufo, duplex exhibet monumentum Regia fcientiarum Academia (1). Conftat ex primo, bufonem in ulmo diuturno tempore viventem extitiffe, nullo prorfus aditu per exteriorem arboris corticem patefacto. Ex fecundo, bufonem fine externo aere ciboque per 80. & 100. annos media in quercu in fecretiore trunci parte latuiffe, nullo ufpiam patente exitu, ingreffu nullo. Quae quidem de longaeva bufonum vita nos admonerent: cumque doctiffimorum hominum obfervationi, fine temeritatis nota, fidem negare minime poffimus, dubitandi locum facerent, tenellis ne adhuc arbufculis iis inferuerint fefe bufones, eorumque fucco ali potuerint. Veneficos maxime defcribit bufones fupralaudatus Seba (2), cumque graviffimos fcriptores plurimos fententiae fuae fautores adducat (3), qui & multa ex iis venena componi doceant, hinc de quorumdam faltem bufonum toxico dubitandum relinquit.

Scarabeorum quoque fpecies quasdam, grillos, millepedes, lacertas nihil tale promerentes, aliaque animalcula tanquam venefica nonnulli dubia licet accufatione infecerunt. Sic & foetidorum cimicum fanguinem venis infufum febrem facere docet Horftius (4), exemplo hominum poft balneum ita fcarificatorum, ut cimicum fanguinem incifis venulis abforberent. Quod tamen

K fi in

(1) *Hift. de l' Ac. R. pour l' année* 1719. *&* 1731, *pag.* 37.

(2) *Tom. II. pag.* 294.

(3) *Quos vide apud Rieger Introduct. ad notit. rerum natural. Tom. II. pag.* 298.

(4) *Epift. medic. Lib. II. Sect.* 6.

ſi in dubium revocare voluerimus, animadvertendum eſt quod ſupra de illorum opinione ſenſimus, qui ex hirudinis, & animalium ſanguinem ſugentium morſu noxium humoribus affundi liquidum cenſuerunt. Quid quod &, quamvis de innoxio veneficorum animalium ſanguine dubitare poſſimus, non in eo tamen potiſſimum, ſed in liquido quopiam a ſanguine ipſo ſecreto veneni cuiuscumque vim ineſſe ſupra demonſtravimus: unde toxici cuiuſpiam admixti, niſi potius indigeſtae molis vi, eos morti ſuccubuiſſe cenſendum eſt, qui epoto taurino caprinove ſanguine mortem ſibi contuliſſe memorantur Pſammenitus, Themiſtocles, Coriolanus.

Sed elegantiae, decorisque plenum muliebrem ſexum aequiſſimo mihi beneficio devincire ſuadet opportunitas, & hoc loci inſtituenda menſtrui ſanguinis apologia. Nam quae tandem in terreſtri corpore tam perniciosa vis, quae cum iis comparetur, quorum autor accuſatur ſanguis ille, quo cuncti primum enutrimur atque coaleſcimus? Eo muſta aceſcere, ſteriles fieri fruges, mori inſita, exuri hortorum germina fructusque, ſpeculorum eboriſque lucem diſſipari, metalla rubigine corripi, in rabiem agi canes, aliaque huiusmodi cum Plinio (1) plures afferuerunt. Quin & adiungitur damnis hiſce Lucretius, Philoſophica poeſi celebratiſſimus, qui eius biographorum teſtimonio (2) uxore menſtruum propinante, quo conſtantem ſervaret, de qua illa dubitabat, coniugii fidem, in amentiam lapſus, violentas ſibi inicit manus. Impudenter quippe more ſuo Paracelſus, artificialis homunculi phanaticus pater, a femineo ſemine men-

(1) *Hiſt. Nat. Lib. VII. cap.* 1.

(2) *Lucret. de rer. nat. &c. cum comment. Dion. Lambin. Lutetiae* 1670. *confer eius vitam Operi praefixam*.

menſtruis mixto (quae venena vocat omnium maxima) originem deducit pulicum, aranearum, omniumque ferme inſectorum (1). At quae in menſtruum ſanguinem referuntur tam gravis momenti damna, a Philoſophis licet aſſerta, vel nullam apud ipſos integram habuerunt fidem, vel in vulgares animos morali potius, quam phyſico documento diffuſa ſunt, quo mulierum decori ac puritati conſultum foret. Quot enim apud gentes plurimas, Orientales maxime, impura ſunt, & noxiarum rerum titulis inſerta, quae tamen aut publicae duntaxat valetudini, aut honeſtae civilique puritati opponuntur (2)? At menſtrui humoris innocentiam quotidiana confirmat obſervatio, & in atretis, clauſumve habentibus uteri orificium, diutius impune detenta eiusdem ſarcina (3); unde non exiguam facit admirationem ſingularis opinio, quae variolarum neceſſitatem a menſtruo ſanguine deduxit, & notam ſemper cauſam morbo non ſemper noto conciliavit.

Quid ergo opponatur autoritati graviſſimorum hominum, qui veneficum ſanguinis huiuſce vitium adductis comprobarunt exemplis? Quid de Hottentotis feminis, quarum fervida menſtrua putredinem facile concipiant (4)? Quid de acri illo ſero, cuius effluxus mulierum carnes veſicantium inſtar inflammavit atque corroſit (5)? Quid de noxio menſtruatarum halitu (6)? Quid de ſquamis a cute ſeparatis (7)? Quid de reliquis, iisque pluribus

(1) *Lib. de Peſtilitate.*

(2) *Conſule de hac re elegantiores interpretes in Levitic. cap. XV.*

(3) *Benevoli Diſſertaz. ed Oſſervaz. oſſervaz.* 1. *pag.* 79.

(4) *Tavernier Voyag. Lib. XI. cap.* 27.

(5) *Joan. Van-Hoorn mirab. omnip. circa gener.*

(6) *Verheien Supplem. pag.* 98.

(7) *Charleton de Catameniis.*

in hanc rem hiſtoriis (1) ? Quid demum de eorum ſententia, qui ab humore illo deſumi potuiſſe crediderunt importunae luis exordium (2), quae Veneream ſaepe hilaritatem morbi ſocietate & dolore deturpat, eamque peperit in nonnullis dubitationem, mulierum ne merito plures vitae homines an morti conſecrentur (3) ? Hiſce omnibus reponi poteſt, vel exaggeratum quidpiam ineſſe aliquibus quae in menſtrua exponuntur hiſtoriis, vel vitium humori illi praeter conſuetudinem aliquando adceſſiſſe, vel regionum quarumdam hanc eſſe indolem, cum ceteroquin nec experimento, neque ratione comprobetur, quo nam pacto fiat ut in uteri potius arteriis, quam alibi, perpetuo ſanguis vitio laborare poſſit, & qui feminae ipſius varias partes contactu laedit ſuo, utero humor innoxius adhaereat.

Iam ergo iis magna ex parte terrae partibus philoſophica inſpectione peragratis, quae nocentes veneno belluas enutriunt, eiusdem indolis & nonnullas in ampliſſima aquarum dimenſione deprehendemus: inter quas principem ſibi locum vindicat Torpedo, manibus brachiisque tangentium, quoad ipſa vivit tractaturque, ſtuporem inducens; nam mortuae vel morientis, quidquid in contrarium plerique ſentiant, nulla vis eſt. Neque vero ſtuporis ille ſenſus (illi non diſſimilis qui a violenta duri corporis colliſione fit) per totum corpus diffunditur, ſed vel ad cubitum usque, uti pluries expertus eſt Lorenzinius, qui accuratam piſcis illius exhi-

---

(1) *Vid. Acta Phyſico-Med. Acad. Caeſareo-Leopold. Vol. I. in Phyſiolog.* 143.

(2) *Aſtruc de Morb. Vener.*

(3) *Vid. elegans Poema Gallicum, cui titulus: Les trois Nouvelles de Cupidon & d' Atropos par M. le Maire.*

exhibet anatomiam (1), vel ad totam brachii longitudinem, uti Redius testatur. Emissione corpusculorum torpedinem id agere putarunt Peraultius, Redius, Lorenzinius. Borellius agitatione mechanica, vel tremore universi corporis sui: quem refellit observatio torpedinis toto saltem corpore immotae dum contrectatur. Non ergo ex universo torpedinis corpore vis illa proficiscitur, sed a duobus falcatis musculis magnam pectoris dorsique partem obducentibus, & vi contractiva incredibili instructis. Quin & praedici quodammodo potest actio torpedinis, imminensque contrectanti torporis sensus, dum concavam primo reddit dorsi superficiem naturali forma paulisper convexam. Ex qua concavae figurae constitutione elevantur ad latera, & validiores fiunt promptioresque falcati musculi. Philosophicas hac de re curas omnes implevit Reaumurius, qui & elegantia exhibuit experimenta, quibus instrueremur, torpedinis vires per solida quaepiam progredi viventi corpori interposita, per fluida dissipari, animantia nonnulla repetita torpedinis actione interire &c. Postremo adnotandum est quod asserit Fernelius (2), narcoticum reddi oleum in quo vivens torpedo extincta fuerit. Quod si veritati experimentoque consonet, aliquid ergo a viva torpedine exhalari dicendum est vi stupefaciente praeditum, & falcatorum musculorum viribus adiungendum. Cum tamen nec mortem, nec nisi brevem morbum inferat torpedo, vix inter animalia venefica recensenda est. Maximam, stridulam, foetentemque torpedinem peculiari corpore in-

---

(1) *Lorenzini, Descrizione della Torpedine. Vid. etiam quam multa profert, & elegantissima, de torpedine Sinus Persici Kaempherus Amoenit. exot. fascic. III. qui eam, retento ab homine halitu, impune contrectari notat.*

(2) *Method. medendi Lib. VI. cap. 5.*

instructam offendes in Academiae Parisiensis historia (1). Ceterum quae de torpedine admirationem peperit proprietas, simile quidpiam in animalibus nonnullis exhibet, de quibus tamen nulla nobis parta est admiratio: nam & istrices, & simiae quaedam &c. si contrectentur, cutim & corpus excutiunt, contremiscunt &c.

Vehementiorem stuporis actionem praesefert piscis ille in Cayenna frequens ampliori anguillae similis, quem si non digito solum, sed vel extremo baculo contrectaveris, non de torpente duntaxat, sed & immoto fere brachio, vicinisque partibus querelam facies, quin & occupatum singulari deliquio corpus senties, quo delabaris facile ni primo syncopis insperatae sensu terrae prostratus inhaereas. Barbararum gentium id est de eo pisce testimonium, quod nimirum pisces quosdam caudae ictibus male excipiat, torpefaciat, devoret (2). Ex quo novum adcedat argumentum sententiae illi, quam alibi produximus, noxias nempe vires animalibus quibusdam, venenumque ipsum hac de causa insitum fuisse, necessitatibus ut consulerent suis.

Infensiora sunt quae narrat symptomata Labatius de Americano pisce, quem Galeram vocat (3). In maris superficie piscis ille non infrequenter observatur diaphanae spumae aura plenae massam repraesentans, aut vesicam variis pictam coloribus. Corpore siquidem constat ferme cartilagineo, flaccidaque pelle aerem absorbente, quo facilius aquis innatet. Veneno est adeo caustico subtilique, ut animalium cutem calore ipso ac dolore opprimat, quo a ferventi oleo afficitur. Sole ad horizontem propius adcedente amplius fit doloris incremen-

tum,

(1) *Hist. de l' Ac. R. pour l' année* 1729. *pag.* 8.

(2) *Memoir. de l' Ac. R. du* 1666. *iusqu' au* 1699. *Tom. VII. part.* 1. *pag.* 325.

(3) *P. Labat, Voyag. de l' Amerique.*

tum, quod fere nullum est sole sub horizontem divergente. Haec Labatius.

Silentio involvimus Leporem marinum pulmonibus infensum, & solidissimo telo venefico in superiori caudae parte instructam pastinacam, alteramque ex aequorea familia virulentam bestiam draconem marinum piscem, licet alimenti usu minime perniciosum, scorpiumque idem cum terrestri nomen sortitum, quod ut aculeo terrestris, ita hic spinis, quibus in tergo capiteque refertus est, venenum vulnerando infigere dicatur (1). Quid enim de barbi piscis ovis dicam, quae determinata quapiam anni tempestate comesa periculosas supra & infra pariunt purgationes?

Quod huc usque perterritis mortalium oculis exhibuimus veneficorum animalium triste spectaculum, sua iam remedia desiderat, quibus vel pestis illa, qua fieri potest conditione, sufferatur, vel aliqua saltem ex parte sublevetur. Quae venefico morsui prodesse censentur medicamenta, omnia uno communique nomine theriaca nuncupantur. Quae vox ad eam deinde traducta est ex multiplici pharmacorum genere compositionem, quam Andromachus, aliique, & variae variarum gentium exhibent pharmacopoeae. Id autem nominis profluit a Graeco θηριον, hoc est animal, vel quod viperae carnes eo remedii genere continentur, vel quod contra viperam praecipue, aliaque animantia singularis esse usus perhibetur. Quemcumque vero praestent usum, eum certe omnem praestant actione cardiaca, qua vim vitae, seu cordis & arteriarum vires excitant, adeoque non in venenum ipsum directe agendo, sed expulsionem adiuvando. Nec dissimile est Mithridatium, luxuriosa illa plurium pharmacorum turba, per quam in uno stomaco medica tot gentium dona compelluntur, quaeque inventoris

(1) *Ionston. de piscib. Art. XIV. pag.* 49.

toris ſui regio nomine glorioſa, & ad evertendas toxici cuiuscumque vires tam facile iactata, ſimplicem in ortu ſuo praetulit apparatum ex ruta nucibus ſale ficubus, uti attonitus obſervavit (1) Pompeius, direpta Mithridatis militari ſarcina, tam pauca viliaque tantis uſibus admiratus remedia. Neque enim ſermonem hic inſtituimus de peculiari illa, qua Mithridates utebatur, theriaca ex pharmacis longe pluribus conſtituta (2).

At vero ii nos ſumus, qui nonniſi immani barbaroque promptioris medicinae genere peſtem hanc evitari poſſe cenſeamus. Vincta igitur, ſi fieri poteſt, arctiſſime, non ita tamen ut torpeat, ſupra vulnus infecta parte, profundae cutis inciſiones ſcalpello inſtituendae ſunt, ſanguisque detrhaendus, quo ingreſſo venulas veneno exitus aperiatur. Quo facto aeger ad tempus quodpiam Chirurgico praecepto patere vulnus ſinat. Qui per inciſionem ingreſſo venulas veneno exitus aperitur, promptae quoque validaeque ſuctionis ope aperiri poteſt, patente praeſertim multo vulnere, vel urgente morbi velociſſimi neceſſitate, qua integrum infirmo non ſit praeſens experiri Chirurgiae ſubſidium. Neque tamen ſuctioni adeo tribuendum, ut exinde ſecura demorſis vitae ſpes affulgeat, niſi quod nullum homini tam prompto morbo laboranti promptius occurrat remedium, quod ſane maximi momenti eſt, quodque ipſe per ſe facile & ſubito exequatur, tutiorique poſt illud effectu inſtitui poſſint altae cutis inciſiones. Salubria ſcilicet apud veteres pſyllorum officia tanti aliquando non fuerunt, ut iis ipſis prodeſſent qui oſtentationis gratia, vel ad conciliandum arti ſuae pretium mordentem viperam laceſſibant, & ſcientiam illi

(1) *Ex Sereno Samonico.*
(2) *Gal. Lib. II. de antidot.*

illi possidebant omnibus communem facilemque, ut cum Celso loquar, vel potius audaciam usu ipso confirmatam. Neque nonnisi placidis Cleopatrae Manibus illudendi studio ab Augusto factum est, ut extinctae Principis vulnus a Marsis Psyllisque sugeretur (1). Liberalem hanc sugentium familiam exaggeratae autoritatis titulo credula cohonestavit antiquitas, quae venenum eorum hominum contactu salivaque tolli, quin & odorem quemdam ipsis insitum veneno hebetando aptissimum, aliaque plura venditavit (2), non minori certe risu excipienda, ac magica illa, neque tamen vetita, divina vis qua ὀφιογένων horum turbam serpentes impune pertractasse docet Anselmus Dandinus Cesenas (3). Cumque ingens perpetuo fraudis pretium usus usque fuerit, hinc ad nostram usque aetatem Psylli Marsique reviviscunt, tenuique gazae vulgi insipientis illudunt. Nimirum ea ipsa studia atque exercitia apud Indos (4), Nigritas (5), aliosque (6) sunt frequentissima. Quod si & ea qua decet conditione institutum Psylli Marsique munus sordidum alicui aut non satis tutum videatur, sciat ille & similia ex chirurgico fonte obtineri posse per siphones, aliave corpora liquores sugentia, vulnerumque sordes expurgantia (7). Neque dissimile quidpiam praestant, minori licet efficacia, lapides

(1) *Ex Svetonio & Paulo Orosio.*

(2) *Dissert. par M. l' Abbé Souchay sur les Psylles Tom. VII. Acad. Royal. Inscript. Paris. pag.* 273.

(3) *De suspectis de haeresi. Romae* 1703.

(4) *Kaempher. Amoenit. exot. Fascic. III. observ.* 9.

(5) *Spitillus in collectaneis.*

(6) *Texeira Lib. I Hist. Persic. cap.* 29.

(7) *V. l' Art de succer les playes sans se servir de la bouche d' un homme par M. Anel. à Amsterdam* 1707.

pides illi ſerpentini dicti, cobrasque, qui aridam ſuperficiem, poroſamque texturam oſtentantes, manifeſtam exinde eorum veluti ſuctricem vim Philoſophicis oculis offerunt inſpiciendam, cum humidis facile carnibus adhaereant, & externum liquidum abſorbeant. Atque hinc fortaſſe derivatur quod tam diverſa de illorum facultate referantur experimenta, cum nullam illi fidem offenderint apud Redium, & Charaſium &c. plurimam apud Boylium, Baglivium, aliosque. Nam ubi de minima veneni mole, humido vulneri ſuperficietenus incluſa, & lapide protinus admoto res eſt, fortaſſe non inutilem praeſtant operam, ſecus vero nullam (1). Quin & nonnullis corporibus, quae an huc usque nota ſint igno-

---

(1) *Quam in rebus hiſce aſſerendis negandisve cauta eſſe debeat prudens Philoſophia, docet hiſtoria Kaempheri de lapide viperino, Amoenit. exotic. Faſcic. III. ibi,,*
,, Nutrix quaedam in Choromandelo viperinum lapidem
,, venefico morſui adponit, quo decidente cum nec lapis
,, alius adeſſet, neque lac, quo elueretur, lapidi ex ube-
,, ribus immulſit ſuis: papilla confeſtim dolere, rubere,
,, intumeſcere, inflammari. Vix diebus decem a morbo
,, libera fuit: papillam vero habebat aliquantulum ab
,, alumno exulceratam ,,. *Ex quo manifeſtum eſt tumidum veneno, quod ſuxerit, lapidem illum fuiſſe.*

Oſtenditur pag. 14. venena nocere aliquando poſſe contactu; quod facilius fieri poteſt iuxta diverſitatem partium, quarum aliquae venenum facilius ſuſcipiant, uti pecora in labris, Lanzonii femina in ano &c. At Edimburgenſis Academiae Tom. III. legitur de morbo venereo pluribus feminis inſpirato a femina, quae ubera puerperarum ſugebat (ars quam in uſu habent Edimburgenſes) quae laborabat ulcere in extrema lingua, & in labro inferiori interno. Morbus autem immediate incipiebat in uberibus. Detecta tandem eſt feminae culpa &c.

ignoramus, inesse certe potest magnetica in virus attractio, uti notat Boheraavius de venenatae bestiae carnibus, de lapide cerastis, &c. (1) quae tamen plurimum accuratae mentis desiderant experimentum. Postremo adnotandum est quod in vivis animantibus summa requiritur suctionis vis, ut profunde latentes infecti liquidi partes ad superficiem vocentur, nullusque reddatur obex resistentiarum, quae ex tenuitate, numero, inflexione, elatere, soliditate, pressione canalium humorumque derivantur. Quod evidentius adhuc ostendet examen illarum, quae homini insunt, suctionis virium, quaeque tanti non sunt ut obstacula diruant superius recensita. Praestat itaque ut securiori methodo suctionis effectus experiamur: cui usui primum sibi locum vindicant hirudines, impudicum illud haemorhoidum, Sanctorino teste, remedium. Quamvis autem & earum suctio delendo, consumendoque vulneris toxico satis aliquando non sit, nihil tamen veneni iis inesse, ut aliqui dubitarunt, nihilque ex illarum actione pertimescendum supra demonstravimus.

Quod si vel temporis distantia, vel toxici quantitate, vel partis infectae situ, vel alia quacumque morbi observatione, neque adhuc satis ab incisione suctioneve cauti esse videamur, tum ad ampliora artis praesidia confugiendum est, & infecta pars citius comburenda ne sincera inficiantur: quod caustico ex ardente ferro comparari facile potest. Quae omnium profecto animos cognitio pervasit, cum vulnerum a venefico animali partorum combustio frequens & apud Indos esse memoretur. De homine loquitur Claytonus (2) qui demorsa a serpente caudisono corporis parte funibus devincta, & ardenti carbone confricata, nullo exin-

(1) *Vbi de antidotis.*
(2) *An account of Virginia by M. Clayton.*

de morbi incommodo pressus est. Quo etiam referenda est efficacia remedii apud eas gentes in usu frequenter adhibiti, quarum venatores lethali animalium morsu perculsi, pyrium pulverem in ipso vulnere protinus infusum accendere perhibentur (1). Quae agendi methodus eorum dirut opinionem, quorum sententia vulgatum est, pyrii pulveris accensione veneficam in vulneribus qualitatem suscitari, proindeque a Medicis aliquid praeter vim percussionis & lacerationis considerandum esse in vulneribus ab explosione ortis quorumcumque instrumentorum plumbeos, vel cuiuslibet metalli globos vi pyrii pulveris evomentium (2). Qui sint mechanici combustionis effectus, quae incommoda, fusius exponemus ubi de hydrophobia sermo erit. Sed immanioris quoque medicinae generi succumbat aeger necesse est, si vigente morbo, producta toxici damna de infectis etiam vicinis partibus timorem incusserint. Rebus quippe ita se habentibus amputanda pars est, corporique universo salus quocumque demum pacto comparanda.

Hactenus immaniora certe, tutiora tamen exhibuimus veneficae pestis medicamenta; at ea iam tempestate vivimus qua difficillimo morbo facilis medicina omnium linguas librosque complevit. Oleum ea esse dicitur, de quo plura in Anglicanis Transactionibus passim offendes: etsi ab aliqua fraudis nota eos non absolverem, qui tentatis primo tum in proprio, tum in animalium corpore coram Regia Societate experimentis, viperarum morsus, & insurgentes exinde effectus, & ipsum demorsae partis dolorem tumoremque simplicis olei frictione compesce

sce

---

(1) *Blondel in Hist. Acad. Reg. à Paris 1698.*

(2) *Ea est Plazzonis Patavini Medici sententia, ex cuius latino in hanc rem libro multa hausit autor Gallus Petrus Dailly, Traitè des playes faites par les armes à feu.*

ſcebant (1), cum eam quam ſupra indicavimus dubitationem excitarit alia, quae in iisdem Regiae Societatis Actis occurrit hiſtoria (2), qua plurima referuntur ex morſu viperae damna, oleo nihil prorſus conferente, exindeque prudens adducitur ſuſpicio de illorum fraude, qui ea in ſe ipſis impune tentaverant. Hinc nulla eſt quae de nimia in hanc rem Londinenſium Sapientum fide a quibusdam iactatur cenſura. Quid quod ſatis adhuc non conſtat quanta ſit olei contra belluarum toxicum efficacia. Primo enim manifeſtis, iisque plurimis, experimentis evincitur veneficum eorumdem ſuccum oleo admixtum vires ſuas magna ex parte vel prorſus amittere. Lege, ſis, quae in huiuſce diſputationis gratiam ſapienter expertus eſt doctiſſimus vir Jo. Gentilius (3). Secundo experimentis pluries repetitis, & illuſtrium medicorum autoritate (multi licet in contrarium ſentiant) oleo uncta vulnera innoxia fuerunt (4). At ingenti adhuc dubitationi ſuccumbit hiſtorica licet in hac re veritas, ſubitque periculum anceps olei gloria, ſi attente perpendantur experimenta omnino multa, eaque ſumma diligentia, criticoque prorſus oculo ab accuratis tentata Philoſophis Hunauldio & Geoffroio (5). Nimirum quot in animantibus de oleo facile trumphavit viperae toxicum? Quin & quanti momenti ſunt, poſt experimenta ipſa,

---

(1) *Of the vipers catchers &c. & an account of experiments made before ſeveral Members of R. Society &c. num.* 443. *Phil. Tranſact.*

(2) *Num.* 444. *pag.* 394.

(3) *Annotaz. del Sig. Dott. Gio. Gentili alla Lettera Filoſofica ſopra il commercio degl' olii &c. pag.* 68. *&* 76.

(4) *Haller in Not. Boheraave num.* 425. *pag.* 17. *Bradley works of nature ch.* VI. *&c.*

(5) *Memoires de l' Acad. R. pour l' an.* 1737.

ipsa, ad inutilem olei vim confirmandam argumenta, quae in medium proferunt illustres Academici? Quam de nulla per olei unionem veneni diminutione lubet adhuc suspicari!

Nulli vero tam subitam facilemque venefico morsui medicinam praestiterunt, quam qui incredibiles ea in re salivae usus commendarunt (1). Quis autem crederet tantò ubique affluentem Scepticismo Lucretium, tam serio hominis salivam demoliendo venefici animalis corpori consecrare (2)? Quod ieiunam multorum hominum salivam quindecim dierum spatio super haec animalia consumpsit, Redio experimentum tentante, qui ex ea viperas reviviscere non sine risu percepit. Suspecta etiam sunt tot remediorum elogia, rutae ex. gr. quae in quocumque animalium morsu proponitur (3), & quae de lapide serpentino iactantur contra cuiuscumque animalis venenum miracula, ut de altero eiusdem efficaciae lapide sileam, quem describit Tavernierus, quique in serpentis cuiusdam veluti cucullo posteriorem capitis collique partem tegente reperitur (4). Nullus tamen lapidi serpentino famam tantam conciliavit, ac illustris Angliae Philosophus Robertus Boyle, qui occultarum qualitatum, & Orientalium traditionum potentiae maxime infensus, lapidis illius usu demorsos plus quam sexaginta morti se sustulisse testatur (5). Quid autem serpentinus, aliique lapides eiusmodi pos-

---

(1) *Martin. Gurish Consider. Physico-medico-forens. de saliva humana. Lipsiae 1729. &c. aliique.*

(2) *Serpens hominis contacta saliva disperit, ac sese mandendo conficit ipsa. Lucret. Lib. IV.*

(3) *La Medecine & la Chirurgie des pauvres. a Paris* 1741.

(4) *Le serpent au chaperon. Voyag. de Tavernier. Tom. II. Kaempher. Amoenit. exotic.*

(5) *Usefulness of experimental Philosophy.*

possint sibi verosimillime polliceri, ex superius dictis constat, ubi de vi suctionis, & psyllorum officio disseruimus. Huiusmodi etiam sunt quae de terra quadam alba Melitensi, vulgo dicta Gratia S. Pauli, contra viperas illas decantantur, ex quarum genere una D. Paulum exinde illaesum percussit (1), quaeque de planta Assazoe refert miracula Jobus Ludolphus (2), quae funesta serpentum & viperarum venena destruant, hominemque eius arboris radices absorbentem de venenati cuiuslibet animalis ictibus invictum reddat atque triumphantem. Facile quoque antidoton tot serpentum diversorum monstris alienae relationis autoritate protulit Parisiensis Academia (3) radicem Yabacani, qua, si anguium palato illam offeras, pereunt velocissime. Quin & consperssas radice illa manus pedesve, aut foetidum os evitat anguis, vel in stuporem incidit, quo facile succumbat. Quid autem de celeberrima illa vel herbula, vel animalculo, Mungos addendum est, cui tanta in hac re magni nominis scriptores concesserunt (4)? Praetereo contusas animalium illorum, quae morbum effecerunt, carnes vulneri adpositas, aut educta chymice ex illorum corpore non obscuri nominis medicamenta, ut ex. gr. volatile viperarum sal, quod summis extollunt laudibus Medici toto orbe spectatissimi, quoque Charasius ictericum ex morsu viperae mortis periculo subduxerit.

Quod


(1) *Vallisnieri Lett. al Rev. D. Ignazio Giorgi &c.*

(2) *In Hist. Aethiopica, seu descriptione Regni Habessinorum, quod vulgo male Presbyteri Joannis vocatur. Francof.* 1681.

(3) *Dans les Isles des Sauvages la racine Yabacani en François Apinel. Hist. de l' Ac. R. an.* 1724. *pag.* 19.

(4) *Michael. Frideric. Lockneri lib. cui tit. Mungos animalculum & radix &c. Haller in Boheraav. Prolegomen. pag.* 5.

Quod ſi quaerat a me quiſpiam quae in profligandis venefici animalis effectibus potior adſcribenda laus ſit, depromptis ne a vegetabili, an minerali, aut animalium regno medicamentis, ſciat is me nova ſemper & huc uſque ignota deſiderantem nonniſi in minerali regno tutiora & prima veneficae luis praeſidia reperire. Ferro nimirum opus eſt quo affecta pars vel incidatur, vel comburatur, vel & amputetur. Quo peracto, cetera omnia utilitate non vacant ſua. Si quis autem tam exiguam in tot remediis fidem noſtram admiratur, ſciat is Philoſophiae partem principem prudenti dubitatione contineri.



DE VENENO ANIMANTIVM ADQVISITO.

****

PARS SECVNDA.

QVae de Venenis huc usque protulimus non ad aliam, quam ad illam Animantium classem referenda sunt, quae mechanica proprii corporis constitutione venenum natura insitum, vel ab ortu ipso susceperunt. Iam vero & eorum classis occurrit, quae innoxiam nacta corporis conditionem, nova causarum quarumdam opportunitate, funesta inferendae mortis auctoritate, nocendique vi animantium nemini concedunt. Primam hanc & necessariam, cum de veneno animalium sermo est, divisionem esse censuimus, tum causae efficientis, tum effectuum novitate & diversitate, tum inconstantis, neque definitae virus periodi, tum quod ad hominem ipsum hac una ratione pertinere possit, neque ut naturale toxicum impune primo in alia transferenti corpori adhaereat. Veneni adquisiti nomine intelligimus vim noxiam in animali sano, vel interioris, vel exterioris causae origine de novo insurgentem, animali ipsi funestam, & in aliis contactu, morsu, halitu &c. immensa prorsus serie, iisdemque conditionibus diffundendam.

Primo igitur quis canem, domesticum animal, nobisque vel fidei, vel servitii, vel deliciarum nomine suavissimum, in furorem actum sine animi terrore non

intueatur? Domi tuae (1) tibi comparat insidias natura vel ab iis quae propriis alere ipse digitis gaudes: canes agit in rabiem, & qui tui corporis custodes esse debuerant, animam adimunt. Quanquam non canes duntaxat, sed omnia fere animantium genera, rarius tamen, eo morbo occupari cognovimus. Nonne enim ex Mustelae morsu fato cessit Locrensis Aristides (2)? Nonne singularia rabidae Lupae in Gallico municipio vigent adhuc monumenta (3)? Nonne a Lutra morsa mulier post dies decem & octo febri acuta, omnibusque pleuritidis indiciis perculsa, deinde & hydrophobia, undecimo a morbo die sublata est (4)? Vnde non oscitanter a Celso assertum est omnis ferae morsum habere quoddam virus, praesertim si irritata sit (5): quod constabit exemplis inferius adducendis. Hinc admirationem facit Aristoteles, qui animantia omnia a cane morsa in rabiem ferri docet, homine excepto (6); nisi fortasse scriptorum vitio id adscribendum est; vel, ut Mercuriali visum est (7), putandum nullos revera homines rabidos adhuc innotuisse Aristotelis aevo, qui vixit saeculis ante Asclepiadem duobus. Galenum vero cum Aristotele consensisse eo singularius est, qui *brutorum nulli rabiem supervenire*, *cani soli accidere* docuerit (8). Vnde in detorquendo Galeni sensu, tam luculenter expresso, ridiculam scriptores plurimi disputationem inierunt.

Qua

---

(1) *Scaliger. Exercit.* 86.

(2) *Joh. Linder de venen. exercit. ex Aeliano var. histor. lib.* 14. *cap.* 4.

(3) *Traitè de la rage &c. par Jean Ravelly a Paris* 1696.

(4) *Acad. nat. curios. Tom.* 3. *observ.* 2.

(5) *Cels. lib.* v. *cap.* 28.

(6) *Hist. animal. lib.* 8. *cap.* 22.

(7) *Mercur. variar. lect.*

(8) *De loc. affect. lib.* 6. *cap.* 5.

Qua primum aetate in hoc orbe terrarum canina rabies sui timorem incusserit, in Historia Medica controversiam facit. Licet enim Plutarchi, aliorumque sententia, Homero ignota fuerit, tamen suspecta res est, si eius vocis vis consideretur, quam adhibet Homerus (1), dum furentem Hectorem describit, & dum (2) λυσσώδης a Neptuno Hector appellatur (3), sed de hoc suum esto unicuique iudicium. Nam is ego non sum qui omnia poetae illi ceteroquin spectatissimo perspecta assertaque fuisse contendam. Quod si de quo loquimur morbus ab Homerica illa voce non indicatur, neque indicatur sane ab ea, qua Hydrophobos Hippocratem expressisse (4) quidam censuerunt (5), dum homines quosdam febre, vel phrenitide correptos aquam rarius ingurgitantes βραχυπότας appellat: qua voce non potandae aquae difficultas, sed minor frequentia designatur. Satius ergo est morbos inter antiquiores rabiem collocare, neque Plutarco (6), aut Sbaralaeae (7) consentire qui sub Asclepiade hydrophobiam primo visam docuerunt (8). Ea de re cum quidam Logicorum, ut ipse ait, contenderent, longam sibi ipsi profert disputationem C. Aurelianus; an scilicet novus, eo quo viveret saeculo, morbus esset hydrophobia.

 Cum-

(1) *Iliad. Lib. IX.*

(2) *Lib. XIII.*

(3) *Ea vox est λύσσα qua Araeteus, Aristoteles, Galen. Dioscorid. aliique omnes caninam rabiem designant. Vide quae pro hac sententia adducit argumenta clariss. Loganius Transact. Philosophic. Tom. XXXIX.*

(4) *In Coacis, alibique.*

(5) *Lister Coelium Aurelianum sequutus.*

(6) *Symposiac. 5. 9.*

(7) *Ocul. & mentis vigil. pag. 261.*

(8) *Clerc Hist. de la Medicine part. II. liv. 4. sect. 1. pag. 461.*

Cumque antiquiorem ſtatuat morbi epocam, tamen eius ſententiae fautorum argumentis nullo modo ſe commoveri profitetur.

Multa ſunt, variaque, aliquando & pauciſſima, quae morbum hunc inſequuntur ſymptomata. Hiſtorica & maſcula Graecorum Medicina, diverſa quantum ab ea, quam recentiores aliqui iactant, ſpeculativa & penſili (1), caninam rabiem vivis adeo coloribus expreſſam patefecit, nihil ut ea in re deſiderandum reliquerit. Quam belle eleganterque Graecis adhaerens veſtigiis C. Aurelianus exhibuit in primo morbi ſtadio ignotam illam, & medicis duntaxat oculis funeſtam iactationem, & inquietam mobilitatem, facilem iram, pauci potus deſiderium inuſitatum, praecordiorum anxietatem, ſomnum facile vigilem, mutam triſtitiam, torvos, protractos, inaequales intuitus, ſpumam ad labra facilem, frequens ſputum: in ſecundo autem ſitim, horrorem non bibendae ſolum, ſed videndae (2), quin & verbis exprimendae, & contrectandae (3) quacumque corporis parte aquae (quod ante perfectam hydrophobiam frequens ceteroquin phaenomenon ſilentio a pluribus omiſſum eſt) corporis tremitum, oculorum, vul-

(1) *Baglivi de praxi medica lib. 1.*

(2) *Ab ipſo etiam aquae, quam non viderent, ſtrepitu, ut a fluminum lapſu, a remota percuſſione ſenſibili embrocationum &c. inhorruiſſe aliquando hydrophobos teſtantur hiſtoriae. Quin mirum omnino eſt C. Aureliani monitum dum ſecatur hydrophoborum vena: avertenda ſunt aegrotantium ora, & manu fluor excipiendus ne ſonitu percuſſi commoveantur.*

(3) *Singularis eſt quae in Michaele de Hered. Tract. varior. medicin. lib. 1. legitur canis rabidi hiſtoria, quem cum ſaxis fuſtibusque vulgus inſequeretur, rivuli occurrentis aqua ita deterruit, ut converſo pede iisdem vulgi ſaxis fuſtibusque ſeſe rurſus expoſuerit.*

vultus, ruborem, singultum, turbatam respirationem, aliquando & subsultantem, frequentem, paucamque urinam, parvum, inaequalem, contractum pulsum, interioris corporis calorem urentem, exterioris non raro vel gelidum, vel naturali ferme parem: quod & in vehementioribus partium quarumdam internarum inflammationibus obvium saepe est. Miserrimum morbi genus, in quo simul aeger siti premitur, sitisque remedium fugit. Minus frequentes effectus vomitum biliosum, foetentem, aliquando & cruentum, penis tensionem, alborum corporum, lucemque plurimam reflectentium inspectionem difficilem, hydrophobia adcedente patens iterum dolensque vulnus, cicatrice iam ferme obductum.

Rabidorum clamores (quorum & plures muta melancholia perculsi nihil simile moliuntur) nullo modo, ut asserunt quidam, canum latratibus comparandi sunt, cum apud scriptores hyperbole vocum ea sit, & rabidorum clamores ac deliria a latratu canum distent quam maxime, ni praeoccupatis auribus excipiantur. Hinc, si morsus desiderium excipias, improprio sensu aiunt nonnulli canis veluti naturam ab eiusdem morsu transfundi. Quod si contigit aliquando, non ex alio certe fonte profluxit, quam ex delirio, seu imaginationis vitio, eodem prorsus pacto quo ex mechanica corporis affectione mentis tamen morbus est, ab Oribasio primum medicis characteribus descripta, Lycanthropia (1), uti superbum Nabuccum exhibet Bartholinus (2) insana melancholia perculsum, cui ungues & pili excreverint.

Singulare est tantae vis & periculi venenum inoffensis humoribus admisceri, quin & latere diu, quin & hunc illius esse veluti proprium charatterem. Nam quae lente agunt

(1) *Freind Hist. medic. &c. pag. 6.*

(2) *Miscellan. medic. de morbis Biblicis cap.* 13. *Ader de morbis Evangelicis.*

agunt venena, multa ſunt, ſed actioni non tarde manifeſtae lenta ſuccedit morbi ſeries, non ſubita, non peracuta. Quae omnia confirmat ſatis occulta diu Venerei virus labes, & apud nos celeberrima aquae Peruſinae hiſtoria, & (exploſa licet) varioloſae peſtis a materno utero derivatae opinio. An ergo id (unicum prorſus in lentorum venenorum claſſe) fieri arbitremur, quod non ſanguinem primo, ſed ab eo ſecernendos humores, lympham praecipue, venefica ſaliva inficiat, cumque ea duntaxat attrahatur, unde ad effectum omnem iterati circuitus plurimique deſiderentur? Ex quo deducendum ſit primam virus huiuſmodi efficaciam in humores exeri, lymphaticos potiſſimum, diverſa a ceteris animantium venenis conditione, quae, ut vidimus, ſolida ſubito, nervosque maxime, videntur occupare. An ſolidiores canis ſalivam conſtituentes particulae, longo licet, valideque omnia comprimentis immutantisque circulationis ambitu, nihil tamen in hominis corpore immutatae, ſed in ſalivalibus eiusdem glandulis ſeparandae, in iisdem duntaxat actionem primo, proindeque lentius, exerant ſuam? An ea eſt veneficae ſalivae conſtitutio, nullum ut in exigua mole momentum ſit, visque una inſit, qua ſimiles humores ceteros in ſui naturam paulatim convertat? Incautus enim, quin & laetus aliquando vivit demorſus, inſcius quanta lateat pernicies, quae viſceribus labes inſideat, quam denique ſibi a lento morbo metuendum ſit, qui cum ad hydrophobiam pervenerit peracutus repente fiat. Quidquid vero illud ſit cum poſt dies utplurimum 40. prodat ſeſe venenum huiusmodi, toxicorum determinato ferme tempore agentium non mediocre praeſtat argumentum (1). Licet autem viventium corporum

(1) *V. Lib. de venen. ad terminum Petri de Abano, ſeu Conciliatoris, quem circa annum* 1300. *in Patavino Ly-*

rum diverſitate ſtatuenda certo non ſit veneni cuiuscumque activa periodus, tamen adſunt manifeſto venena quaedam, quorum actio ſi non ad certum, ad quoddam tamen intervallum protrahi extendique poſſit. Quorum meo quidem iudicio princeps eſt quod ex Philoſophicis Angliae Tranſactionibus Nigritae componunt (1), eius antidoto a ſenſitiva deprompto, cuius veneni actionem ad menſes plures produci fertur, quodque ſingulare eſt Nigritas ante obitum in albos homines immutare (2). Diſtinguendum ergo eſt inter duo haec venenorum genera, quorum alterum effectus parit ſuos ferme ſubito, ſed lenta longioris morbi ſerie; alterum, quod hydrophobiae convenit, latet diu, quin ſigna ulla prodat ſui, cumque prodit, velociſſimo iugulat morbi charactere. Philoſophicam certe fidem ſuperat virus ſanguini admixtum in eo tamdiu deliteſcere. Quod poeticis quorumdam Medicorum theoriis, materiales animas mire delectantibus, anſam dedit, & quaedam inter ipſas humorum partes latibula, ſecretosque implicatae fabricae receſſus, aliave eduxit glorioſae ignorantiae, vel inſanientis ſapientiae nomina, veritatis certe non parum offendentia ſeveritatem. At vero obſervatione ipſa ultimae perfectionis humorum in animalium corpore ſatis ſuperque edocemur plura in nobis diuturna mechanicae actionis vi generari, renovari plura, plura

---

Lyceo primum perhibent Medicinae Profeſſorem. Quae autem dicuntur de venenis ad terminum ſenſu aliquantisper largiore intelligenda ſunt.

(1) *Vol. XLII. ann.* 1742. *num.* 462. *artic.* 2.

(2) *Liberum ſit unicuique ſingularis experimenti iudicium. At nonne viperae toxico ictericus aliquando cuti color inſeritur? nonne interna plura corporis vitia, peculiares quaedam in cute pariunt coloris alterationes? num vero haec ad Nigritas transferri poſſunt, quorum color tantas extulit diſputationes?*

plura immutari, plura etiam fortasse corpori admisceri, quae soliditatis suae causa nullam subeant mutationem, utpote quae actioni corporis superiorem habeant reactionem. Vnde ex lenta veneficae salivae operatione deducendum videtur humorem illum virulentum, vel interna in ipsum actione corporis multiplicari, vel repetitas aut peculiares quasdam corporis ipsius actiones desiderare, extremam ut agendi sortiatur efficaciam. Ita vero aliquando virus ipsum extingui posse, ac paene aboleri, nullos ut prodat effectus, vel contra longo etiam temporis spatio praeter spem reviviscere, analogico morborum quorumdam periodicorum exemplo. Quo notiores fiant & a nemine in dubium revocandae incredibiles quaepiam humorum in datam quamdam naturam conversiones, & morbosae causae iam veluti consumptae nova post tempus quodpiam restitutio, minimi, proindeque inactivi, vigentis tamen, morbosi corporis multiplicatione. Quae omnia confirmantur exemplorum varietate, quae diversis in locis operis nostri adducuntur, ubi a veneni huius ingressu periodici in demorsis pluribus morbi characterem exponimus.

Postremo adnotandum tam alte humoribus insidere atrocem hanc luem, ut exempla apud nos extent aliqua hominum quos, postquam variolis suscepto iam morsu copiosissimis laboraverint, exindeque incredibiles subierint humorum immutationes, eo iam morbo immunes lethalis invasit tamen hydrophobia, consuetae periodi violentia & lege nihil exinde immutata (1).

Lenta ergo est veneni huiusce actio. Adnotandum tamen de manifesto duntaxat, vehementique morbo id esse intelligendum. Nam si quosdam, paucissimis etiam a morsu diebus, non oscitanter observes, integram sane in plerisque valetudinem desiderari cognosces. Levissima esto

(1) *Cocchi Tratt. de' Bagni di Pisa cap. 4. pag. 319.*

esto in iis sint salutis incommoda, tamen de gravi corporis sensu conqueruntur, in iram tristitiamve proni: vigiliis potius, quam somno faciles. Quae aliaque huiusmodi iam inobservata, iis etiam qui se a futuro morbo putarunt immunes, in gravissima duntaxat morbi periodo memoriae occurrunt.

Ea omnia rabidi morsus effecta sunt; at quid ni & non rabidus ea ipsa canis aliquando perpetraverit? Nihil non reperies pro re tua apud observatores, quos si critico pervolvas oculo, plura offendes incerta, facili iactata fide, ita exposita ut rem non satis confirment, plura quae & confirment. Canis certe non rabidus, cum plurimis ab inflicto morsu diebus nullius morbi signa protulerit, neque demorsas a se bestias labe ulla infecerit, dominum, a quo acerbissime vapulat, mordet, & quadraginta tribus a morsu diebus hydrophobum, duos post dies vita privat, recrudescente vulnere iam clauso (1). Galli gallinacei cum alio gallo decertantis vulnus hominem eo ictu laesum reddit hydrophobum (2). Ira percitus adolescens proprium mordet digitum, & hydrophobia occupatur (3). Percussus ab homine felis, ut ab egregio Medicinae Professore accepimus, hominem ipsum mordet, & paucos post menses hydrophobia perculsum extinguit. Quae autem de hoc negocio sapientibus incessit admiratio, in eo maxime sita est, quod scilicet animantia illa subiti furoris opportunitate ceteris adeo funesta, proprio internoque (ni converso in se ipsa morsu) non succubuerint veneno, cum tamen in iis bestiis omnibus, quas morbosa rabies invasit, ex interno toxico

N extre-

(1) *Acta Acad. nat. curios. Tom. VI. observ. 91.*

(2) *Observations curieuses sur toutes les parties de la Phisique. a Paris* 1719. *quod occurrit etiam apud C. Aurelianum de hydrophob. cap. 9.*

(3) *Nat. curios. Dec. II. an.* IX. *in append. pag.* 249.

extremum necessario semperque insit vitae periculum. Hinc & huiusce, & illius, quem mox adducimus, morbi summa diversitas est a vera rabie, morsus duntaxat contagio suscitata.

Neque vero putandum est sola & necessaria morsus culpa insurgere in animalibus hydrophobiam. Quamvis enim morbi huiusce signum veluti pathognomicum illa constituat, sciendum tamen aliis eam corporis vitiis aliquando coniungi, proindeque minus accurato morbi charactere sub eodem nomine reponi rabiem & hydrophobiam, quae morbi ipsius effectus duntaxat est & symptoma. Nam esto omnes rabie canina correpti, & hydrophobia (neque hac tamen semper & necessario) corripiantur, non omnes tamen, quos aggreditur hydrophobia, rabie quoque correptos fuisse iudicandum est. De quo sane phaenomeno magna tenuit Ridleium suspicio dubitantem an ii, quos canis morsum inexpertos adoritur hydrophobia, caninos olim morsus pertulerint, vel a parentibus ea labe infectis tristem susceperint hereditatem (1). Certum est aliquando sine praevia rabie, ab aliis scilicet quam a morsu causis hydrophobiam exoriri, ut non solum C. Aurelianus (2), Salmut in malignis febribus (3), Petrus Borellus (4), sed & nos ipsi testari possumus, qui bis hydrophobiam vidimus ab acutis morbis exortam. Et primo quidem in nobili Adolescente, qui octava febris scarlatinae die cum vehementissima faucium inflammatione, liquida omnia per biduum adeo est aversatus, ut iuscula ipsa & tenues sorbette haustus summa ira respueret. Secundo in Iuvene, qui occupata morbillosae materiae pustulis gula ab omni potionum genere, ciboque per 30. horas

(1) *Hum. Ridley Observ. observ.* 25.
(2) *Lib. III. acut.*
(3) *Cent. II. observ.* 52.
(4) *Cent. III. observ.* 38.

horas abſtinuit, qui tamen ambo & ab hydrophobia, & a primo morbo immunes evaſerunt. Quae exemplo etiam confirmat ſuo puellae cuiusdam hiſtoria (1), quae violentam febrim anginamque paſſa, ſingulares extulit convulſiones, quarum periodus omnem aegre bibendi potentiam ſufferebat, & in eodem opere perlegenda (2) paroxismis ſuis atque effectibus ſingularis enarratio de Iuvene acerbiſſima ſtomachi inflammatione, deindeque hydrophobia laborante, quem Orci faucibus deſignatum copioſiſſimae diebus ſeptem ſanguinis miſſiones ad uncias 116. vitae reſtituerunt. Quin & hydrophobiae ſenſus quidam, leviſſimus licet, obſervatur in illius anginae ſpecie, quam Graeci λυκάγγην & κυνάγχην vocant, vel quod familiaris cani lupoque affectio illa cenſeatur, vel quod ex ingenti muſculorum gutturis inflammatione linguam aegri e ſepto dentium ceu canes exerant. At nullum meo quidem iudicio praeclarius ſine praevio morſu hydrophobiae teſtimonium occurrit, quam quod legitur de Femina (3) quam ex contuſione capitis (in quo praeter tenuem tuberculum nulla exterior laeſio) poſt biduum invaſit hydrophobia, duobus ab hydrophobia diebus ſecta vena canina fames, trium deinde dierum intervallo mors.

Quae hac ſermonis opportunitate prudens inſurgit dubitatio, ea primo eſt, an ſcilicet ab hydrophoborum huiusmodi morſu pertimeſcendum ſit? minime vero, cum nulla ſit in iis rabies, vitium ſalivae nullum, nullus mordendi appetitus: demum hydrophobia excepta, atque illa quidem diſſimili, diverſa omnia. Secundo duplicem, ut omnis confuſioni tollatur aditus, ſtatuendam eſſe hydrophobiam: quarum prima ſimplex ſit, altera contagioſa, vel in rabie duntaxat observanda, cuius characte-

(1) *Eſſais de Medecine d' Edinbourg Tom. I.*

(2) *Artic. 29.*

(3) *Acad. Nat. curioſ. obſerv. 205. Tom. II.*

res uni ſolique competant rabiei, cum nullo in morbo aquae contactum, nomen, ideam ipſam aeger averſetur.

Vti vero ſine praevio animalis ullius morſu ab aliis exoriri poteſt cauſis quaedam, diverſa licet, hydrophobia, ita & rabies aliquando nullam parit hydrophobiam. Quod praeter cetera, omnium ſane praeclariſſima, confirmat hiſtoria, quam Hildanus exhibuit ex Roſcii epiſtola (1) de inaequaliter periodico in nobili femina ex rabie morbo, nullas unquam hydrophobiae notas praeferente. Haec in demorſa parte Chirurgicas iamdiu experta inciſiones nulla per annos ſeptem atrocis morbi novit indicia. Exinde vero infecti olim brachii convulſivos ſenſit dolores, delirium, melancholiam, inſomnia, ſitim, febrem, alimenti odium: paucos poſt dies convaluit, ſeptemque iterum poſt annos nil ſimile metuentem idem morbus invaſit, iterumque poſt annos ſex, iterum inſequenti anno, bis anno altero, deinde ter, quinquies deinde, qui vulgatae obſervationis annus eſt deſiderandum relinquens hiſtoriae finem.

Quamvis autem ex rabie phantaſiam neceſſario ita offendi quidam putaverint, ut in medico-forenſium quaeſtionum claſſe illa ſit, an ſcilicet nefarii cuiuspiam ſceleris reus, poſt ſuſceptum a rabido animali morſum, forenſi iudicio ſubiciendus ſit (2); non tamen ſemper ad imaginationis laeſae vitium referri poteſt rabies, neque ad phrenitidis aut maniae delirium (3), cum demorſi plures, furore licet impulſi, impetus tamen ſuos repreſſerint, (quod maniacis nullo pacto convenire novimus) cum de violento morſus impulſu adſtantes non raro monuerint, cum denique optimae perfectaeque rationis indiciis

ciis

---

(1) *Hildan. Cent.* 1. *poſt obſerv.* 86.

(2) *Conſideratio Phiſico-Medico-forenſis de ſaliva humana, auct.* D. *Martino Gurish &c. Lipſiae* 1729.

(3) *Wolf. Wedel. Diſput. de Hydroph. cap.* 3.

ciis omnibus praediti halitus ultimos expiraverint (1): unde nonnisi quidam in eo morbo veluti pathognomicus potius furor, atque agitatio deprehenditur; quae a delirio distant maximopere. Neque vero & delirium aliquando inesse inficiandum est, ut plurimum vel melancholiae, vel phrenitidi, maniae raro comparandum; adest quippe in hydrophobis acuta febris, neque tamen maniacorum vis illa singularis, nisi quam phrenitis facit brevi duraturam. Ceterum frequenter adeo hydrophobiam mentis potius, quam corporis affectionem Medici putaverunt, ut animae ne an corporis passio illa sit, disputandum sibi proponat C. Aurelianus: qui sane, uti de reliquis omnibus, ita de hac re differit sapienter, a corporis necessitate, sensuque materialium rerum timores & desideria deducens, proindeque corporis affectionibus inserens hydrophobiam (2).

Quae in Philosophicis Transactionibus, Freindio auctore, spasmi cynici occurrit historia, immani huic quem describimus morbo simile quidpiam, diversa licet origine, repraesentat, in qua etiam nec morsus desiderium reperias, nec hydrophobiam. Neque enim clamores ibi duntaxat canum latratui similes exhibentur, sed & caninae oris distorsiones. Quid quod adcedentem morbum praevius stomachi tumor dolorque indicabat, qui ad superiora tendens celerrime, gulae orisque musculos occuparet. Vnde primarum viarum & diaphragmatis vitium quoddam iis videtur adfuisse. Quod in hydrophobis frequens est, quorum cadavera id exhibent non raro, postquam in extrema morbi periodo stomachi dolorem tumoremque accusaverint, & insurgentes exinde ad gulam convulsiones, & ab iis oris distorsionem, clamores, horridaque suspiria.

Pro-

(1) *Codronch. de rabie pag.* 100. *Stalpart. Observ. cent.* 1. *observ.* 100.

(2) *Morb. acut. Lib. III. de hydrophob. cap.* 13.

Proſtant apud ſcriptores exempla, quae ſuſpicandi anſam exhibent, canis ſalivam ſine praevio morſu contactu ipſo aliquando nocuiſſe (1). Nam ex famulis duobus, qui in rabidi catelli ore digitos frequenter immiſerant, alter quidem, nunquam tamen hydrophobus, a graviſſimo morbo per ſudorem immunis evaſit, alter hydrophobus peracute delirans paucos poſt dies interiit (2). In ipſa etiam Regiae Societatis hiſtoria de duobus infantibus ſermo eſt, qui anno 1679. in Hibernia, contrectato lotoque canis, qui rabidus dicebatur, capite, elapſo ferme anno ventris dolore, deliquiis, diarrhaea, ſpumoſae ſalivae affluxu ad fauces, & poſt tres ab eo morbo menſes aquae horrore correpti ſunt cum phrenitide. Quo morbo ſaepe evaneſcente, ſaepe reviviscente, priſtinae tandem ſaluti redditi ſunt. Omnium vero notiſſimum ſuppeditavit argumentum C. Aurelianus, ubi de ſartrice illa loquitur, quae reſtaurandae chlamidi rabidi animalis morsu diſciſſae incumbens, ſuturis filoque linguae frequenter admotis, rabida facta eſt (3). Nec diſſimilis apud Hildanum occurrit hiſtoria, alibique (4) de pellione hydrophobo ex contrectata canis rabidi pelle. Cuiusmodi morbum etſi obſervationis auctor Chriſtianus Adolphus aegre adducatur ut contrectatae pelli tribuat, exemplis tamen aliis dubitationem excuſſerit ſuam. Quae omnia de ipſa canis ſpuma, recenti maxime, pavidos nos eſſe docent quamcumque corporis partem, labra praeſertim, conſpergente: unde & oſculo infici homo poſ-

(1) *Conſulenda eſt in hac re, uti & in aliis pluribus ad rabiem pertinentibus, doctiſſimi* Sauvages *diſſertatio* ſur la nature & cauſe de la rage pag. 7.

(2) *A remarkable hydrophobia by M. de la Pryme. Philoſoph. Tranſact. num. 277. pag. 1073.*

(3) *Acut. morb. Lib. III. de hydroph. cap. 9.*

(4) *In Act. Acad. nat. curioſ. Tom. II. obſerv.* 135.

possit (1). Galenus certe, quem alibi iure meritoque commendavimus, quod omnium cautissimus de ipso veneni animalim contactu dubitaverit, de canis quoque saliva id animadvertit (2); cuius doctrinam exemplis quibusdam confirmat Matthiolus (3).

Neque desunt, rarae licet, historiae hominum in rabiem actorum, quod animalis ea lue infecti carnes in cibum assumpserint (4). Quin & de cane sermo est, qui delibato hominis hydrophobi sanguine, lethalem in se ipso expertus est hydrophobiam (5). Rusticum quoque, coniugemque suam, in rabiem incidisse refert Timaeus, qui vaccae a rabido cane morsae lac absorbuerint. Sed haec vel rara sunt, vel de causis aliis inobservatis dubitationem ingerunt, cum praecipue eo usque procedat Aretaeus, ut homines in rabiem deferri posse censeat a cane qui in faciem, dum spiritus adducitur, tantummodo inspiraverit (6). Quod & a C. Aureliano affirmatum (7).

In

---

(1) *Palmarius de morbis contagiosis loquitur de rustico rabido qui cum filios suos paulo ante mortem osculatus fuerit, eodem morbo infecit. Quod autem osculo & inspiratione ipsa nocere aliquando possit virus hoc, id fortasse repetendum est ab immediata communicatione salivae infectae cum sana, seu ab immediato contagio partium humorem illum secernentium, ni dubiam historiis illis fidem praestare velimus.*

(2) *De loc. infect lib. 6.*

(3) *In Dioscorid. Lib. VI. cap. 36. Job. a Meeckren Observ. Med. Chirurg. Musitan. Chirurg. capite 3. Spindler. observ.* 99.

(4) *V. Jos ex Aromat. lib. de rab. contag.* P. *II. pag.* 23.

(5) *Lemery in Hist Ac. R scient. anni* 1707.

(6) ἀτὰρ καὶ ἀπὸ γλώσσης κυνὸς ἐσπνεύσαντος μοῦνον ἐς τὴν ἀναπνοὴν ὅτι μὲν ἐνδακόντες λυσσᾷ ὁ ἄνθρωπος. *Aret. morb. acut. Lib. 1. cap. 7. de angina edit. Lugd. Batav.* 1735.

(7) *Acut. morb. Lib. III. cap. 9.*

In saliva maxime tota reponitur venefici seminis pestilentia. Quod ita percipiendum non est, ut humores rabidorum ceteri a periculo & contagii suspicione possint absolvi. Nam apud Hunaultium (1) nobilis Adolescens levissime in manu ictus, ferro, quo rabidus canis lethale vulnus acceperat, rabidus & ipse interiit; & in Academia Parisiensi (2) prostat canis in rabiem acti historia, qui prodeuntem ex hydrophobi vena sanguinem deglutiverit, & apud Londinensem Societatem Cheirurgi duo, qui hydrophobi cadaver secuerant, levemque sibi digiti ictum fecerant, alter ex tenuissimo vulnere digiti putrefactionem, alter in manu violentam tensionem spasmodicam cum erisipelate contraxit. Quid quod non salivae modo, sed latici seroso universo labem illam admisceri[a], egregiis tum rationibus tum observationibus confirmare contendit Jo. Melchior Verdries (3).

Hydrophoborum decem & trium sectionibus adfuimus, quas animus erat evulgare, ni exigua rerum perspectarum diversitate compulsi, ea omnia in unam veluti molem congerere satis esse duxerimus. Anatomica peremptorum eo morbo cadaverum observatio varia quidem exhibuit inspicienda: duo tamen frequentiora; primo plurimam in primis viis inflammationem, lacerationem, gangraenam: secundo singularem solidarum partium, membranarum praecipue, ferme omnium ariditatem, tensionem: faciles huc illuc membranis adhaesiones viscerum: frequentissima peripneumoniae indicia; aliquando phrenitidis duntaxat, inflammatis meningibus, cerebroque, vel obscuriore cerebri cortice, medullaque sanguineis punctis conspersa; aliquando paraphrenitidis, inflammato turgidoque

---

(1) *Entretiens sur la rage & ses remedes par M. Hunault.*

(2) *Anni* 1707.

(3) *De Equilibrio mentis & corporis Comment. cum disquisit. de veneno canis, Francof.* 1726.

doque vasis suis diaphragmate. Quae omnia praevii morbi historicam diversitatem faciunt. Stomachi cavitatem foetida nigraque bile sordidam, aliquando & sanguineis veluti punctis huc illuc obductam: hepar non raro tensum, turgidum, subobscurum: fellis vesiculam aliquando ferme inanem, aliquando atrae bilis glutine distentam: ex intestinis, si iis morbus insederit, ileon intensius inflammatum: multa utplurimum pharyngis inflammatio, praecipue linguam versus, tumentibus papillis nerveis, saepe & nulla: minor laryngis rariorque. Vesicam ipsam, glandemque, & cavernosa penis corpora ter vidimus inflammata: quorum plerisque furente morbo facilis adfuit penis erectio. Pinguedinem utplurimum fere nullam; quin & omentum veluti consumptum. Sanguinem non raro solito liquidiorem, neque facile in vitreo vase concrescentem: venas sanguine refertas, inanes arterias. Quod in cadaveribus hisce constanter observatum admirationem fecit non mediocrem, gravissima immortalis Boheraavii auctoritate (1), & Regiae scientiarum Academiae, quorum testimonio in hydrophobis arteriae sanguine refertae, inanes venae deprehensae sunt (2).

Quas venefica saliva in homine excitat, canis, ut ita dixerim, naturam redolentes ideae, admirabiles confirmant humorum morborumque transfusionis effectus. Quae transfundendi morbi auctoritas, exiguis licet finibus contineri videatur, neque hominum aut animalium illorum indolem communicare, tamen in rabie fortasse unica singularis est atque adnotanda. Esto igitur ad fabulas amandandae sint ex humorum transfusionis doctrina depromptae historiae illae, quae ferunt mores eosdem hominem induisse, qui in animali vigebant, sanguinem traducente suum (3), proindeque a noxio Physicos experi-

(1) *Aphorism. de cognosc. & curand. morb. n.* 1140.
(2) *Hist. de l' Acad. R. an.* 1699.
(3) *Amoenit. Physic. &c. David Vander. Beke. Hamburgi* 1703.

mento revocari monent; at in saliva canis unica ea vis inest, ut prima quaedam animalis illius indoles in hominem transferatur, cum ignota prorsus homini mordendi libido in homine exoriatur. Quod sane, pluribus licet nullam fecerit admirationem, mihi tamen fecit semper, facietque quammaximam. Difficillimae autem plenum opus aleae reor singulari illi phaenomeno verosimilem caussam accommodare. Nam qui ad delirium confugiunt, historia morbi refelluntur: qui mechanicum irritationis cuiuspiam effectum hunc esse iudicant, quo per morsum ad irritantis liquidi expulsionem homo provocetur, non animadverterunt ii tot aliis expulsionem illam, atque innoxiis modis, promptioribusque obtineri posse. Quis autem spectatissimae auctoritatis viro Friderico Hoffmanno consentiat, philtrorum exemplo rem totam explanare contendenti (1)? Cumque de salivae viribus sermo sit, fortasse ex Svetonio id hausit Hoffmannus, referente Vitellium ad Amasiae gratiam sibi comparandam fauces saliva melle admixta emollire consuevisse (2). Qualis autem, & quanta fuerit, sitque apud nonnullos, fides & fama philtrorum, libenti animo praetermittimus. Nam praeterquam quod portentis hisce emunctae naris Philosopho nemo uspiam imponet, qui (Olimpiam secutus Philippi Macedonis uxorem, quae puellas perdito quorumdam amore circumfusas in se ipsis habere philtra suaderet) nulla esse censeat philtra, quam quae humorum salacitatem aut libidinem excitant medicamenta aphrodisiaca, quae tamen eiusmodi non sint auctoritatis, ut actionis suae liberam & pathematum dominam voluntatem ad determinatum quoddam obiectum tendere impellique iubeant, sed ita agant, ut ex eorum actione non ea maxime quae nobis nota & deliciae nostrae sunt, sed & ignota nec determinata

---

(1) *Medicin. systematic. part. 2. de venen. eorumque nat. virib. &c.*

(2) *In Vita Vitellii lib. 7. cap. 2.*

minata nobis obiecta nostris insperato iungantur amoribus. Neque novum est per medicamenta quaedam agi posse mentem in deliria, quotiescumque cerebro non naturales subeunte impressiones externis obiectis internae ideae non respondeant. At quae supra adducta sunt de simplicis rabiei & delirii diversitate, satis superque sunt, ut ea diruant argumenta. Multis ergo in ea re peccat nominibus, egregius ceteroquin, & clarissimus Scriptor Hoffmannus. Primo enim rem vel ab historica veritate prorsus alienam veritati confirmandae cogit inservire. Secundo, obscurum phaenomenon obscurioribus explicat cognitionibus. Facilius quippe intelligi percipive posset qui ab infecta saliva rabies, quam ab exigua naturalis salivae menstruive guttula amor insurgat. Quo nam igitur pacto fieri dixerim, ut infusa per morsum exigua salivae portio, eadem omnino in homine non morbi duntaxat effecta traducat, verum etiam cani supra animantia omnia insitam magis facilemque mordendi libidinem? Anne ergo ex nota morborum insitione ad rem nostram fortasse quidpiam adduci posset? Insitionis scilicet observatione deducitur, ea quae morbos quosdam transferunt corpuscula, vel subiti in sanguinem ingressus vi, (de qua infusoriam consule medicinam) vel solidioris fortasse texturae causa, vel multiplicantis naturae vitio, non ita facile a vi vitae immutari. Atqui ne aliquid ad rem nostram constet evidentius, nefaria obstant experimenta a transfusis in homine animalium morbis repetenda. Quae certe ex aegro homine in sanum traducitur morbi lues, in morbo ipso desiit, neque ullam vigentium in aegro homine morum similitudinem communicavit, (sit austerae veritati fides) eoque minus id ex cibi similitudine factum est, ni victas facile demus elegantium opinionum novitati manus (1). Liceat quippe

(1) *V. Essai sur la comunication des maladies & des passions &c.*

tot iam superadditis obrui ornamentis, & mole conlabi sua lepidum adeo a transfuso sanguine novae veluti metempsychoseos luxum, qui ab Etrusco Scriptore Francisco Follio facile primo (1) evulgatus, aliarum deinde gentium linguas librosque complevit. Neque vero hisce omnibus opponi potest ab insuso per morsum, aliterve, ceterorum animantium veneno nil simile exoriri, cum nullum insit animantibus iis morbi genus, neque morbum animalia illa transferant, sed faciant, & qui morbum pariunt transfusionis effectus, a morbosorum duntaxat humorum transfusione deriventur.

Tota hic atrocissimi morbi intuitu obscurantur canum elogia, quos, ut de festivo utilique servitio sileam, vapore suo in podagra commendarunt Abrahamus Kaau (2), Paulinus (3) ubi, ex Hannemanno, canis singulari titulo podagrae magnes appellatur, Borellus (4), Camerarius (5), in

---

(1) *Libavius ignoto adhuc sanguinis circuitu veluti per risum loquitur de transfusione lib. cui tit.* Defensio syntagmatis arcanorum chemicorum. Francofurti 1615. *Parisiis exposita primo est transfusio anno* 1658. *Londini anno* 1666. *At Follius libro cui tit.* Stadera Medica &c. *pag.* 35. *asserit se eam primo deduxisse anno* 1654. *ex cognitione circulationis, & insitionis plantarum, ignoto (de eo quippe non loquitur) Libavii opere, & Ferdinando II. M. Etruriae Duci communicasse. Tamen de Libavio & Follio mirum quam altum sit ea in re apud omnes silentium. V. Physiolog. Medic. Jo. Gothofredi Bergeri. Wittembergae* 1709.

(2) *Perspiratio dicta Hippocrati &c. anatomice inlustrata &c. Lugd. Batav* 1738.

(3) *Cynographiae Sect. III.*

(4) *Observ. physico-medic. Cent. III. observ.* 28.

(5) *Sylloge memorab. med. Cent. XVI.*

in arthritide Levinus Lemnius (1), in ileo Sydhenamius (2), ne de medico cibi usu apud veteres loquar, cum Graecis olim fuisse in deliciis constet ex Hippocrate (3) ubi ait caninas carnes calefacere, siccare, robur adducere, catulinas humectare. Quae sint rabidi canis indicia egregie docet Galenus (4), & Boheraavius (5), qui mutos licet, ut fere semper sunt, canes illos exhibeat, neque tamen & latrantes excludat necesse est. Saepissime vero facile nimis, proindeque falso fertur de rabido cane sententia. Infectum canem ab eo, qui bene se habuerit, dignoscendi lepida methodus est apud Avicennam (6) Paullumque (7) per nucem tritam, aut panis buccellam aegri animalis vulneri adpositam, canique sano oblatam, si rabies adfuerit respuenti, secus devoranti. Qua de re doctrinaque nulla occurrit memoria apud insignem Cheirurgum Petitum, ubi experimentum adducit quo rabidi canes vel mortui dignoscantur (8), quam scilicet respuat clamore canis coctam carnem gulae, gingivis, dentibus mortui canis affricatam. At vero de cane adeo benemeritum audiamus Demetrium (9), canem, inquit praeclarus auctor, rabie percitum ita cognosces. „ *In inferiori* „ *parte, nodis qua lingua tenacibus haeret, accrescit* *lues*

---

(1) *De occult. nat. miracul. Lib. II. cap.* 13.

(2) *Febris continua anni* 1661. 62. 3. 4.

(3) *Lib. de morbo sacro & lib. de dieta.*

(4) *De theriac. ad Pison.*

(5) *De rabie canina.*

(6) *Fen.* 6. 3.

(7) *Lib. V. cap.* 3.

(8) *Hist. de l' Ac. R. pour l' an.* 1723. *pag.* 29.

(9) *Demetrii Constantinopolitani* κυνοσόφιον *seu* περὶ κύνων ἐπιμελείας. ἐν τῷ κάτω μέρει τῆς γλώσσης αὐτοῦ δεσμοῖς τισὶ κατέχεται. γίνεται δέ εἶδος ἐις ἐκτύπωμα σκώληκος ὅμοιον νεύρῳ λευκῷ &c.

„ *lues vermiformis nervo candido non absimilis : prius-* „ *quam augeatur , totumque occupet guttur canis , re-* „ *scindito , & curabis sola apta dieta* „. Exinde ergo vulgaris effluxit opinio de nervo illo rabiei sedem constituente , cuius morbi nec veram originem , nec veram exhibet curationem Demetrius : eius tamen opinioni subscribit , praeter alios, Hieronimus Fracastorius (1). Quin impervium rabiei canem iactat Columella (2) extrema caudae parte, quadraginta ab ortu diebus imminutum.

Mirum profecto est a veneno illo tantam canibus insurgere mordendi libidinem , ut in obvios quoscumque saltu ipso saeviant , & altiores corporis partes , pectus, brachia , os ipsum adoriantur impavidi : quin si morsu aliquem relinquant insalutatum , taciti regrediantur , mordeantque, ac si vel uni pepercisse poenituerit. Omittenda ergo non est gravis admodum disputatio, cur scilicet canes , animantibus ceteris frequentius , funesta rabies invadat. Canem rabiei veluti σύμβολον perpetuo fuisse & veterum & recentiorum eruditione compertum est. Ignota non est Latino adagio canina eloquentia, ad solam scilicet maledicentiam accommodata (3). Hecuba in canem versa fingitur (4), quod proceribus perpetuis oblatraret con-

---

(1) *In poem. Alcon ubi & remedia rabidis canibus indicantur.*

Nam qua parte imo coniungi lingua palato
Cernitur, & fauces nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit usque molossos
Vulnificus vermis , suffunditque ora veneno ,
Quem si quis potuit ferro resecare , potentem
Is tanti abstulerit causam stimulumque furoris &c.

(2) *Lib. VII. cap. 12.*

(3) *Sallust. Quintilian. Ovid. aliique.*

(4) *Apud Plaut. Menaechm. Act. V. Scen. 1.*

conviciis. Animal nullum vel parando, vel faciendo morſui promptius. Levis ſomni, ad inquieta ſomnia frequens facileque: plurima ſalacitate pollens. Voraciora illo pauca, quod canino appetitui famique nomen dederit. Voracitate cibos abſorbente peſſimos, putridos, foetidos, duriſſimos: inediam tamen, ſitimque crebra neceſſitate patiens diu: ſaltus amicum, motusque velocioris, quietis raro: vocis ſtrepitu promptum: nulla ut plurimum pinguedo, macies ſumma: muſculoſa corporis textura: exquiſita nervorum ſenſatio: canales ampli, validi, cruore diſtenti plurimo, lympha pauciſſima: pulſus velox, ſaepe inaequalis: hirſuta cutis, ſatisque denſa, proindeque tenuis perſpiratio: exinde fumoſae fauces, aridaque lingua frigidum aerem deſiderans: canini cadaveris citus penetransque foetor: reviviſcentes, facileque mobiles, anatomico experimento, animalis extincti partes plurimae, proindeque ſupra omnem fidem elaſticae. Qui haec omnia in cane diligenti examine perpenderit, eorum veluti conſectaria deducet humorum indolem acrem, volatilem, alkalinam. Exinde ergo veroſimiliores cauſae morbi in canibus frequentioris repetendae ſunt, & cur animalia omnia caninae machinae quidpiam ſimile praeſeferentia, feles, lupi, vulpes, facilius quam cetera in rabiem prona ſint.

Praeſtat itaque, expoſita iam univerſa morbi hiſtoria, diverſas quae morbum illum ſuſcitare dicuntur cauſas in medium adducere. Et primo quidem occurrit facilis ille Medicis tot morborum auctor calor, cuius tamen quam vel falſa ſit, vel exigua, in rabie ſuſcitanda vis & facultas, docet obſervatio canum non aeſtate ſolum, vel coelo fervido rabidorum, ſed etiam hyeme, terrisque coelo frigidiore gaudentibus. Quo duntaxat argumento timoribus excutiantur ſuis facetae illae mentes, quas innocens in altiori coelo Canicula futili terrore complevit: neque in amici ſideris odium, ſed in aeſtivorum morborum vel gratiam, vel ſi fieri poſſit fugam, intacta nobis ſit veterum Romanorum conſuetudo canem

rufum

rursum adcedente Syrio immolantium, ut excitandas eiusdem influxu corporum labes, placatis parvo pretio Diis, averterent. Licet autem Veteribus, & divino praesertim Hippocrati, parcendum putemus, qui cum Hipparco fuerit antiquior, stellarum fixarum motum ignoraverat, iure tamen meritoque rapiunt nos in admirationem sui recentiores quidam, quibus ignotum non esse censendum est, tardius cum Sole Caniculam exoriri ad integrum fere mensem, futurumque ut vel frigidiore insurgat Januario, dum Caniculae fervidiores efficienti solares radios morbum illum adscribant. Hac tamen Astronomicae querela doctrinae, nefarii sceleris ream & nostris hisce temporibus nonnulli insontem ceteroquin Caniculam accusarunt (1). Tantas in hoc orbe terrarum pepererunt novitates rerum nomina, relationesque cum nominibus rebusque ipsis adesse creditae! At si illius in eo sidere nominis perscrutemur originem, constabit facile ab Aegiptiis usque Astronomis non alia de causa stellam hanc Astrocanem, monitorem, latrantem appellatam, quam quia proximam Nili diffusionem praediceret (2). Quid quod & quantae sunt apud Veteres de canicularium dierum numero dissensiones (3)?

Sed absoluto iam a morbi culpa sidere, viventes substantiae in scenam adducuntur, interni vermes, quorum morsu, furiis, & irritatione, in rabiem canes deferantur. Cumque in salivali fluido labes prima sit, opportuni profecto occurrunt vermes, quibus tracheales, & oesephagi glandulas non raro in canibus turgere deprehenderunt clarissimi Viri Redius, Heisterus, Morgagnius, qui nullam tamen exinde morbi huiusce dedu-

xerunt

(1) *Traitè de la Canicule ou l' on explique les effets qu' elle produit, les maladies qu' elle cause &c. a Paris* 1688.

(2) *Storia del Cielo Tom. I. pag.* 52. *& alibi.*

(3) *Kepler. Lib. III. Epit. Astron. Copernic. pag.* 395.

xerunt originem. Adeo ne ergo de humano genere male meritos fuiſſe vermes aſſerendum eſt, ut non ſolum morborum plurium in inteſtinis vigentium, chylique helluonum gula conſumpti, febriumque prorſus ingentium, quin & in adductae rabiei crimen advocentur? Ita quippe ſe res habet, & in eo totae ſunt illuſtrium quorumdam Medicorum theoriae, quibus alii ſubſcribant.

Sed & dulcem, & amore plenam in animantibus veneream vim, in amaram odioque neceſſario horridam, in rabiem ſcilicet converti poſſe, plurimorum ſententia eſt. Quis infenſas adeo mutationes ab amica Venere metuendas putet, quotiescumque ſtimulis inquieta laceſſat acrioribus? Id vero ſapienti ab obſervatione profluxit, oſtendente canes venereo oeſtro diu percitos, neque irritantis liquidi expellendi opportunitatem nactos, altiſſimas triſtitiae notas exerere, aliaque plura, quae de imminente rabie intuentes, vel admoneant, vel admonere ſupponantur; maximamque eſſe prae ceteris animantibus canis ſalacitatem qua κύων a Graecis appellatus eſt (1), coitumque ſaepiſſime, quod in animalibus plurimis non obſervatur, opportunum appetere, eiusque tantam eſſe vim ut manifeſta tum in mare, tum in femina non infrequenter exhibeantur indicia, & evidens aſſiduaque ſuccedat ipſis in externis partibus immutatio. Quid quod ex eodem ſaepe principio profluentis uterini furoris, & amatoriae, non infrequentis amentiae (2) in homine obſervatio, ſententiae illi non imbecille praeſtat argumentum: unde non adeo, ut quibusdam viſum eſt, explodenda ſit opinio huiusmodi. Quod enim ſpectat ad incrementum rabiei per libidinem, non id ſolum aucta per violentiores motus, caloremque veneni cuiuscumque vis confirmat, ſed hor-

---

(1) *ἀπὸ τοῦ κύειν, diligere & proprie Venereo congredi.*

(2) *Gregor. Horſtii Diſſert. de nat. amor. cura furoris amat. philtris, & pulſu amantium.*

horridum praecipue Scoti Iuvenis exemplum, qui ipsa connubii sui, atque adeo variae hilaritatis, die demorsus, lacerato prima nocte infelicis sponsae ventre, eiusque intestinis manu detentis, cruentato in thalamo furens deprehensus est: tam subita veneni ceteroquin lentissimi actione per Venerem virumque accelerata (1). Postremo singulares pathematum effectus nulli cum liceat inficiari, at eorumdem titulo Venereae affectiones adcedunt, ni Stoicis adiungamur, qui cum solos amare se iactarent spiritus, eos tamen amabant semper qui bene habitabant. Quae omnia satis sint de illorum sententia, qui rabiei culpam Venereae salacitati tribuerunt, quanta cum verosimilitudine iudicent alii.

Automatica simpliciter conditione operari videtur in brutis Venus: at vero & quae diversa in ipsis origine suscitantur affectiones quaedam in rabiei causam adducuntur. Licet autem is ego non sim qui canum dialogos cum Eudoxo Pythagorico, aut varia eorumdem colloquia cum Tiresia, Melampo, Apollonio, vel denique animantium linguae lexicon evulgare uspiam cogitaverim; tamen & multum illis inesse sensum reor, & veris animi pathematibus affici posse. In ea nos opinione confirmat non actionum modo, quae a brutis exeruntur historia, sed anatomica quoque illorum machinae contemplatio, in qua eadem ipsa organa reperiantur, quae pathematum facultati sensuique in homine designantur. Cui ergo diverso usui non diversa in brutis ac in hominibus instrumenta deserviant? Cumque nulla sit ad rem nostram de brutorum anima disputatio, paterni certe maternique amoris animalium quorumdam in fetus argumenta prostant certissima, proindeque & vehementissimi furoris in eos qui illorum partus offenderint (2). Nostri officii non est

(1) *Mead. Lib. sup. citato.*

(2) *Fetus dixi, nam admirabile est quod postquam in perfectum animal adoleverint, amoris illius vestigium su-*

est in longiori Physicae quaestionis examine diutius immorari, quam ideo summis ut aiunt labris delibavimus, ut eam refellentes, quam in praesenti exponimus, de rabiei causa sententiam, nulla illam, quod a refellentibus quibusdam factum est, suppositione laborare ostenderemus, cum manifesta per nos in animantibus plurimis pathematum vis esse affirmetur. Quod itaque demonstrandum superest, illud est, ab ea ne pathematum in corpus actione labes illa derivari possit. Et sane magni momenti est quae pro ea re adduci potest superius exposita adolescentis historia, cui in hostem ulciscendi suum nulla cum facultas adfuerit, furente proprios in digitos morsu, rabies oborta est & hydrophobia. Cui historiae plurimum addunt argumenti validioris incrementum observationes reliquae sub eodem capite conspiciendae, ubi huiusce morbi origo indicatur a morsu animalis non vere rabidi, sed ad iram excitati. Hisce omnibus adcedunt barbararum gentium monumenta, quae suspensis in aere, percussisque acerbissime animantibus quibusdam, affluente ex labris latice, potentissimum educant veneni genus, quo properantem in iaculo mortem accelerent. De quo suum esto unicuique iudicium. Verum enimvero, vel observationum pro ea re adducendarum inopia compulsi, vel diversitate effectuum quos in ceteris animantibus efficit furor, vel humanorum pathematum inspectione, fateamur necesse est nullas in eo morbo excitando manifestas esse irati animi vires, cum ea ipsa quae a furore profluxerit mania, morbum a rabie diversum constituat, ceterasque animi affectiones vel tristis melancholia consequatur, aut varia & ridens amentia, nullumque sit, ut superius innuimus, neque certo,

P 2 ne-

---

superfit nullum, cum revera nulla sit amicitiae necessitas in eo qui neque mutua praestare potest officia, neque certos socios, certamve habere sedem: quae animantium conditio est.

neque ſemper in rabie delirium. Quod etſi ſatis ſuperque ſit ut affirmetur rabiei cauſam ab ira repetendam minime eſſe, neque tamen ſatis ſuperque eſt ut negari tuto poſſit rabiem aliquando ab ira duntaxat exortam fuiſſe: cum praeter adducta nuper exempla, idipſum per ea confirmetur, quae ſupra expoſuimus de aucto per iram animalium toxico. Quin & frequenti conſtat obſervatione deliquia, vomitus, hypercatharſes irae vi excitatas fuiſſe, & malignae bilis vitio, quae naturali in ſtatu blanda & ſaponacea eſt, maximas in animalibus aſſurgere tempeſtates. Nimius quippe eſſem ſi ea hoc loci congererem argumenta, quae profert in bilem Fridericus Hoffmannus (1).

Quamvis itaque hydrophobiam aliquando facere potuerit, aut fervida tempeſtas, aut ira, aut Venus; tamen incerta haec ſunt, & ad alia confugiendum eſt, integram ut luis huiuſce ideam attingamus. Qui ergo morbus ſit rabies, quae illius communiores quantaeque origines, quo morbi titulo definienda, explanare aggrediemur, ſtatuentes nil aliud eam eſſe, quam peculiari cuidam febri inflammatoriae, & quidem epidemicae conſtitutionis, delirio ſaepe liberae, ſaepe ſociae, coniunctum ſymptoma. Eiusmodi characterem exhibent quodammodo acutae illae febres, quibus furioſum ineſt delirium, & inſanus obvios offendendi pruritus. Nimirum malignae febris frequens ſymptoma furor eſt, qui in ea per delirium, in rabie vero & ſine delirio fit. Quod ſi cuipiam ſingulare videatur ingens adeo venenum in corpore efformari poſſe febris culpa, is in malignas febres mentem detorqueat ſuam, communemqne illis in humoribus excitatam veneni vim revocet in memoriam; atqui veneni eiusdem, aliis contactu halituve communicandi vis illa, nil aliud eſt quam febris effectus. Quid quod exemplis inferius adducendis conſtabit luculentiſſime plures

---

(1) *De Bile medicina corporis, & veneno.*

res esse perficiendi in corpore toxici cuiuspiam infaustas opportunitates. Id autem inflammatoriis febribus peculiare est ut humores reddant acerrimos, volatiles, alkalinos, cuiusmodi naturae sunt & venena animalium. Qui quidem humores eo fiunt acriores, quo dissipato magis fluido vehiculo minus diluuntur. Quod extremum in rabie opus est cum maximae, universae inflammationi, fluidique vehiculi dissipationi veluti cumulus adcedat hydrophobia fluidi recentis infundendi ingressum prohibens. Neque nonnisi in inflammatoriis quibusdam morbis id observatur, ut analoga venenis actione, ex infuso aegri humore quopiam, vel attracto per cutim, morbus idem communicetur. Quod si in morbis illis inflammatoriis humoribus universis virulenti quidpiam insurgit, quanto id in rabie violentius, si in ea veneficae vires omnes in unum duntaxat humorem, salivam nempe, conspirent? Si in humorem illum, qui naturali indole spirituosus est, subtilissimus, qui demum animantium natura sua veneficorum, ferme omnium, venenum facit? Si promptissima sint arma, dentes scilicet, quibus in aliud corpus transferatur, neque, ut aegri humores morbum quemdam communicantes, e corpore educi, aeri exponi, aliasve subire debeat immutationes?

Ex quibus omnibus quid ni suspicari possimus & in aliis fortasse morbis quibusdam, aegros quospiam diverse nocere posse si mordeant? Nam si id in nonnullis morbis accidit, ut infusa morbosi humoris gutta morbum faciat, nonne idipsum ab infusa per morsum saliva fiet in morbis iis, in quibus saliva potissimum infici supponatur (1)?

Sed

(1) *In rabie id adnotatum est, minus nocere morsum hominis rabidi, quam aliorum animantium. Videatur superius laudata* Sauvages *Dissertatio. Quin Aegineta Lib. V. cap. 3. ubi docet hydrophobiam esse semper lethalem, ait hydrophobos, quos servatos vidit, ab alio homine rabido morsos fuisse.*

Sed ut pateat evidentius peculiaris cuiusdam, & insuetae febris vi veneficam salivae indolem conciliari posse, analogice observandum est, quod supra animadvertimus, ex acutis febribus quibusdam virulenti quidpiam & contagiosi in fluidis insurgere. Licet vero medentium plurimorum opinione praevium sit in corpore febribus iis virus huiusmodi, quin unum idemque sit cum causa febrili, tamen historia ipsa febrium illarum edocemur, nonnisi diuturna febris vi virus illud excitari; unde non primo dierum spatio, sed post repetitas periodos contagiosae fiunt acutae febres.

Postremo exorta per se in acutis morbis quibusdam, ut vidimus, hydrophobia, rabiem acuti morbi symptoma esse confirmat luculentissime: licet autem non unum idemque sit, ut alibi adnotavimus, rabies & hydrophobia; tamen quod princeps rabiei phaenomenon acutis aliquando morbis adcesserit, de quapiam in utroque morbo causae similitudine non mediocrem ingerit dubitationem.

Quae huc usque a nobis adducta sunt, de prima hic & velut intrinseca rabiei origine sine morsu partae intelligenda sunt, cum exemplis alibi adductis, & inferius adducendis, manifesto constet rabiem in cane, aliisque animantibus, per se, & sine morsu ullo exoriri aliquando posse (1). Nam quod ad extrinsecam spectat rabiem, seu morsu communicatam, quod frequentius est, diversas in illa causas alibi exposuimus.

Neque vero ea dissimulabimus, quae opinioni huic nostrae opponi possunt. Et primo si peracutae febris effectus in cane rabies est, cur, frequente in canibus febre, rara tamen rabies est, cum rarissima illa sit, & alieno morsu, extrinseca scilicet origine, utplurimum exoriatur? Difficultatem hanc facile refellit rarissima in bru-

tis

---

(1) *Gasp. a Reies quaest. 61. Verdries de aequilib. mentis, & corporis; aliique.*

tis omnibus morborum series, rarissimae difficilesque origines (1). Quamvis autem frequentes in animalibus quibusdam, in cane praesertim, febres esse nonnulli arbitrentur, tamen vel evidentia morbi frequentis indicia adduci non semper possunt, vel ea sunt quae se non prodant intuentibus, vel tenuis duntaxat morbi suspicionem faciunt, unde immerito alii nullas in animantibus febres esse censuerunt. Nam quod asserit Sthalius (2) homine excepto nullum animal febribus obnoxium esse, id ab eo extorquet hypothesis sua, qua animam rationalem febrilium motuum causam constituit. Quem refellunt satis manifesta febrium indicia observata a Ramazzino (3), Michelotto (4), Lancisio (5), Ruinio (6), pluribusque rei veterinariae scriptoribus (7); ne sermone de canibus instituto caninae febris observatores adducam (8).

Opponi secundo potest, non in rabido duntaxat cane, sed & in homine ipso nulla adfuisse aliquando febris indicia. At vero cadaverum observatione, manifesta patuit semper inflammatio, quam perpetuo licet insequatur febris, tamen & illi aliquando, raro licet exemplo, non adiungitur (9). Quid quod & quo nam argumento prehi-

(1) *Sthal. dissert. de frequentia morb. in homine prae brutis.*

(2) *Hist. febr. in genere p. 5.*

(3) *De contag. epidem. boum.*

(4) *Congetture sopra l' infermità degl' animali bovini.*

(5) *De bovilla peste & in append. de Equor. epidemia.*

(6) *Anatomìa e Medicina de' cavalli.*

(7) *Apud Paulum Werlhof observ. de febrib. pag. 276, edit. Hannover 1732.*

(8) *V. Gratii Falisci Cyneceticon. & M. A. O. Nemesiani poemata. Hieron. Fracastor. Alcon. Demetrii Constantinopol. κυνοκοφιον &c.*

(9) *Simson the Sistem. of the Womb. &c. apud clariss. Van-Swieten in Comment. Boerhaave de inflammat.*

prohibetur ut putet quispiam, occulta esse posse, neque ut aliis communia, febrium quarumdam indicia, quarum certe, si vera libeat fateri, non infrequentia adsunt exempla? Sed haec ad disputantes Clinicos.

Quod autem suspicari possimus epidemicae constitutionis quidpiam adesse in rabie, confirmat primo observata, saltem sub hoc coelo, incerta quaepiam in morbo illo periodus. Neque enim apud nos lues illa grassatur assiduo, sed intercurrente veluti temporum spatio, quod & in antiquiori aetate seniorum testimonio compertum est. Nam quae viginti ab hinc annis longiore antea intervallo rara fuit hydrophobia, postremis hisce temporibus, singulis ferme tribus quatuor vel quinque annis exorta est. Confirmat secundo rabidorum uno eodemque tempore canum copia. Quamvis autem id ab unius canis morsu in plures diffuso, & quidem iure optimo, repetatur, tamen & non raro supponitur, cum nulla adsint certa morsus indicia, neque exerat sese subito infusa morsu labes, sed longo dierum intervallo, ex quo incerto morbi fons principio detegatur. Quid quod exempla prostant apud nos domesticorum canum vigili custodia privato parieti inclusorum, qui vigente in aliis rabie, nullos experti morsus, funesta lue tamen occupati, famulas dominosve, cum quibus dormirent, insperato momorderint. Confirmat tertio maior, minorve morbi huiusce, pro coeli diversitate, frequentia. Quod a C. Aurelianno adnotatum, qui regiones aliquas eo morbo liberas, alias exhibet occupatas, Cariam & Cretam insulam veneficis, ut ipse ait, animantibus reliquis immunem, rabidis canibus refertissimam. Confirmat quarto morbi ipsius indoles, effectus, virulentia. Nam & hic brevis morbus est, & peracutus, ignota neque semper interna causa, ut in epidemicis omnibus, neque vitio ullo manifesto parta, animalis antea perfecte sani fabricae toti perniciosa, veneficam humoribus vim concilians, in alios diversa licet ab epidemicis ratione traducendam, sed ut in epidemicis multiplicantem. Postremo quod ad morbi

vio-

violentiam pertinet, si ad examen epidemicorum morborum pars maxima revocetur, nulli facile occurrent cum iis morbi vi comparandi, neque atrociores ullae morborum causae (quis crederet?) quam quae extrinsecae sunt, sensibusque imperviae.

Quod si incredibile cuipiam videatur epidemici quid inesse morbo illi, qui paucissimos una eademque tempestate canes adoritur, cum epidemica lues quaecumque in animantia sui generis longe lateque grassetur, is diversam perpendat primo & difficiliorem contagii huiusce diffundendi conditionem, per morsum scilicet, diversève; canum secundo indolem fabricamque, uti morbosis causis omnibus, ita & contagio cuique fortasse non ita facile succumbentem: tertio animantium inficiendorum numerum, primo furentis, vel in uno cane, morbi nomine publica eorumdem internecione decrescentem. Et sane si in aliorum animantium, boum ex. gr. epidemiis facilis adeo non pateret via diffundendo morbo, prima illa atque extrinseca in aere, alibive, contagiosi morbi semina, nulla ferme perderent animantia, quae perdit magis vel unius animalis infecti contagium, in alia animantia plura subito facileque traductum, exindeque multiplicante in singulis venefica natura infinita prorsus serie diffusum. Iam ergo imaginare non alia quam morsus opportunitate proferri debeat boum epidemia: morbum habebis paucis funestum, eoque minus si non conveniant simul animantia illa, (uti bovibus gregis consuetudine solemne est) sed vario seiunctoque invicem loco permorentur, uti vagae vitae usu, nulliusque commercii necessitate in canibus contingere intuemur. Cumque infectus Bos venefico halitu, atque atmosphaera, cui absens duntaxat elabaris, animantia plura sui generis uno momento inficiat, canis contra, cui te aut ars aut fortuna facile subtrahat, uni modo animali contagium infert.

Qui divinam Medicinae partem, prognosim nempe, in hoc morbo aucupatur, sciat is difficillimi aucupari se vaticinii possessionem. Esto enim quarta ut plurimum ab

hydrophobia die conclamata fit aegri salus, incerta tamen est certae mortis periodus. Cadit quippe hydrophoborum pars maxima vigentibus adhuc corruentis machinae viribus, incredibili corporis agitatione, pulsu magno. Quod & in vehementioribus inflammationibus aliis, peripneumonia maxime, frequens est. Et profecto triste nobis spectaculum fuit ex hydrophobis duos vidisse, qui Deo servatori supplices genu flexo mortui prociderint; alios inquieto huc illuc erecti corporis motu repente exanimes humi delapsos. At aliquando, praesertim vero si intestina morbus occupaverit, pulsum habent parvum, parvam celeremque respirationem, inferioris dimidii corporis, extremarum maxime partium, frigus diuturnum, madoremque, lenta demum omnia properantis mortis indicia: quam praeit etiam in plerisque vomitus, spumaeque ingentis affluxus.

Pathognomicum morbi huiusce symptoma iam constituimus hydrophobiam (1): quem morbi gradum aeger cum pertigerit, in extremum res est adducta discrimen. De illius igitur salute conclamatum esse tuto asserat prudens Medicus, & portentosas aegrorum ad pristinam salutem tum temporis, vi medica, restitutorum historias dubia fide complectatur. Quam vero tristis & luctuosa est hydrophobi contemplatio, qui ea ipsa remedia mechanicae necessitatis vi perhorrescat, in quibus fortasse valetudinis restituendae spes unica reponatur! Nam cohaerentibus iam iam, & ferme arescentibus gravissimae inflammationis vi solidis partibus, sublato liquidi subtilioris vehiculo, lingua ipsa, palatoque exsicco & incalescente, vigentibus denique omnibus peracuti morbi effectibus, salubres aquae humectationes aeger aversatur. Qui ergo in explicando hoc morbi effectu ingenii periculum facere voluerunt, in eo videntur Medici fere omnes consentire, non

---

(1) *Φεύγυδροι, hoc est* Aquifugae, *a Polybio hydrophobi dicuntur.*

non ex alio nimirum fonte profluere hydrophobiam, quam ex notissima doloris idea, quam in rabidis alias excitavit impedita difficilisque deglutitio. Nam contractis inflammatoriae siccitatis vi omnibus pharyngis partibus, musculisque referandae claudendaeve pharyngis ipsius cavitati impotentibus, suborta deglutitionis necessitate, quidam veluti suffocationis sensus in pharynge ipsa succedat necesse est, & laboriosa humoris attingendi retentio, quin & ipsa tandem repulsio, vel in tracheam inactiva epiglottide traductio. Atrocis effectus memoria perculsi, iis probe perceptis quae de phantasie vi Physici docuerunt, mirum certe non est si infelices aegri vel ab ipso aquae nomine contremiscant, eoque vehementius si vitium adsit perturbatae mentis, & sedibus perculsae suis. Quod vero inflammationi in oesophagi gulaeque partibus exortae effectus ille sit adscribendus, aegrorum confirmatur exemplo, qui violenta ex acuto morbo pharyngis inflammatione correpti, deglutitionis actione destituti sunt, & absorbendi liquidi horrorem contraxerunt.

En itaque difficillimae interpretationis phaenomeno paratam facile theoriam! Cum vero rarissimum sit, in maximis quoque pharyngis inflammationibus, verum aquae metum suboriri rabidis duntaxat peculiarem, sed solam deglutitionis impotentiam, hinc alia procul dubio ad explicandam hydrophobiam causa requiritur. Primo enim observandum est non ingurgitatione sola hydrophobis nocere liquida, sed aspectu nomineque ipso. Quod autem depravatae mentis vitio postremos hosce effectus adscribendos esse censuerint nonnulli, vel inmechanicis, quae adsint aliquando in hydrophobia, causis, eodem pacto ac obiectorum quorumdam, absentium licet, nomen & idea ipsa stomachum movet, id vero tanti non est ut hydrophobiam a difficili deglutitione repetendam esse confirmet. Primo enim illos in errore versari dicendum est, qui id insanientis animi vitio tribuendum putant, cum hydrophobi prorsus innumeri ad mortem usque vel constitutione mentis optima polleant, vel plurimis quoque ante

delirium diebus funesto liquidorum horrore teneantur. Deinde vero qui nam fieri dixerint, ut ex hydrophobis occurrant plurimi, qui ictu ut ita dicam improviso, & antequam difficilem sibi adesse experimento senserint deglutitionem, eodem tamen aquae horrore contremiscant? Cur & ipso non infrequenter usu clysterum & enematum (1)? cur & aliquando levissima aquae supra quamcumque corporis partem aspersione? cur non adeo difficilem experiuntur vini & solidioris cibi deglutitionem? Nam etsi ultro concesserim, quod in postremi effectus huiusce explicatione contendunt nonnulli, arctius in absorbendis liquidis quam in solidis adstringi gulam, vel a solidi cibi ingressu claudi perfectius epiglottidem, easque esse causas difficilioris liquidorum quam solidorum in rabidis deglutitionis, tamen neque id ad ingesti facile vini explicationem confert, neque supponi serio potest gulam liquido absorbendo adeo impotentem, in ceteris absorbendis nullo pacto esse laboriosam. Cur denique tot aegri occurrant, qui cum non adhuc hydrophobi balneo quotidie immergerentur, neque adhuc deglutitioni essent impotentes, hydrophobiam decima vigesima &c. immersione repente protulerint? Cur poma omnia fructusque, ut vidimus, facile libenterque gustent hydrophobi? Quae omnia, ne dubitationi locum faciant, singularibus confirmantur historiis. Adolescentem nos ipsi hac in urbe vidimus, qui cum nulla uspiam deglutitionis impotentia vel aquae metu teneretur, ita ut de eius salute nil domestici dubitarent, ad Arni balneum aestivo tempore, post septem a morsu menses, ab amicis invitatus, vel ipso Etrusci fluminis nomine horrore correptus, prima & subita rabiei protulit indicia, & manifestam paulo post hydrophobiam, ex qua atrocissimo succubuit mortis generi. Quin & nobilem Pisana in urbe Sacerdotem, qui morsu a fele su-

scepto,

(1) *Ridley Observ. observ.* 25.

ſcepto, cum latentis morbi argumenta nulla praeſtitiſſet, ſacri Calicis hauriendi impotentiam horroremque improviſo ſenſit, brevi temporis ſpatio morbo oppreſſus, compos ſui, amicosque a ſe longius abduci monens, quos ignotae neceſſitatis vi morſu ſalutare compelleretur. Baiulum quoque anno 1750. Piſis obſervavimus, qui poſt ſeptem fere a morſu menſes repente hydrophobus nullam accuſaret deglutitionis difficultatem, ſed poſt ingurgitatam, vel quomodocumque contrectatam aquam, incredibilem ſentiret illico praecordiorum anxietatem, reſpirationis ſubſultum, iactationem; minorem ac fere nullam ab ingeſto pane, quem ignota ſibi vi devorare potius quam mandere cogeretur. Quique ſanae mentis, niſi quod vix una ante mortem hora delirans, morſuque minax, quarta eius morbi die miſerrime extinctus eſt. Quin & gracilem in Noſocomio Florentino mulierem, quae anno 1749. ſexaginta a morſu diebus elapſis, cum nulla hydrophobiae ſigna prodidiſſet, frequentiſſimam tamen paſſa ſemper corporis agitationem, & inquietam mobilitatem, delata iuxta Noſocomii illius conſuetudinem quotidie mattutino tempore ad expurgandas manus aqua, ablutionem illam perpetuo reſpueret, neque in id niſi vi compulſa, manus ab aqua ipſa cito ſubduceret, & innumeras exponeret mendacesque, quo ſe ab aquae quomodocumque experiundae praeſentia liberaret, excuſationes. Quam relicto deinde Noſocomio, in quo neque difficilis deglutitionis, neque febris, neque morbi ullius effecta pertulerat, domi ſuae quatuor a morſu menſibus ſexageſimo aetatis anno ſuſtulit hydrophobia. Neque aliud quidpiam in aegris hiſce paulo antea obſervatum, quam quod ea, quae ab iis raro expeteretur, potandi opportunitate, vino praeter morem liberalius indulgerent, eoque pauciſſima aqua temperato. At quae apud Hunaultium occurrunt (1) inſi-

(1) *Entretiens ſur la rage & ſes remedes &c. par. M. Hunault.*

insigniora multo exempla, sapientum iure optimo sibi vindicant admirationem. Eiusmodi sunt primo quae de rustico memorantur ex lupi morsibus hydrophobo, in quo iam omnium opinione mortuo, & expiantis aquae guttulis a Sacerdote conspersso, violentae subitaeque convulsiones latentem animam revocarunt, brevem infecti corporis hospitem. Secundo quae de moriente hydrophobo refert, quem suis ex oculis prodeuntes lacrimae in tremitum compulerunt, quod & de hydrophobo Medico refert Eudemus Themisonis sectator (1). Tertio quae hydrohpobi cuiusdam exponuntur incommoda, quem in Nosocomium pluvio tempore adductum, pluviae guttae immani sensus genere contorquebant. Hisce omnibus addi potest quod, ad explodendam ex difficili deglutitione hydrophobiae originem, exhiberi plura possent hydrophoborum cadavera, in quibus nullum gulae vitium deprehensum est, nulla pharyngis inflammatio, anginae indicia nulla.

Praestat itaque laboriosae illi deglutitioni, vel novo potius & singulari aquae quomodocumque sentiendae metui, communiorem causam accommodare. Is ergo dubitationi locus esset, an ex alteratione quadam nervosis exteriorum pharyngis membranarum papillis veneni vi communicata, per aquae contactum molestus quidam gravisque sensus in hydrophobis exoriatur. Ignoramus nempe, uti prudentiores Medici profitentur, qui ex morbosa constitutione possint in nobis rerum sensus excitari, quae sint male affectarum partium mutationes, quae mutationes hasce effecta consequantur. Qui autem nullam in insipido liquore, cuiusmodi aqua est, tanti momenti vim inesse posse obiciat, chimico facile refelletur experimento, ostendente puram aquam calci vel oleo vitrioli admixtam, ingentem concitare effervescentiam (2), ut ea omnia

(1) *Apud C. Aurelian. morb. acut. Lib. III.*

(2) *Ea est P. Salii opinio, qui rabidorum humores ex affusa aqua ebullire suspicatus est ad instar aquae calci affusae.*

omnia praeteream experimenta, per quae singulares novique conspiciuntur effectus ex aquae simplicis cum aliis determinatis corporibus admixtione, vel intensum illa frigus, vel calorem excitent, quae longa serie exhibet clariss. Van Musschenbroekius (1). Quod si laboriosum illum aquae sensum derivari nolis ex aquae cum aliis rabidi humoribus dissentiente, ut ita dixerim, natura, nonne aliquando solida ipsa corporis nostri ex simplici aquae contactu male affici possunt, ut incredibilis exinde dolor insurgat? Nam si hominis in equuleo suspensi brachiis aquam leviter inicias, dolet is acerbissime, humore minimas permeante fibras, tensasque ita divellente, ut vel doleant maximopere, vel & facile diffringantur. Quae transferenda sunt ad singularem in hydrophobis membranarum omnium tensionem cultro anatomico manifestam. Quis ergo physica rerum analogia perculsus dubitare prudenter nequeat, aqua rabidi salivae, aliisve humoribus affusa, molestum sensum insurgere? Vel si de solidis partibus sermo sit, hydrophobi corporis & aquae contactum nullo modo invicem consentire? Quae quidem & pluribus morbi phaenomenis fusius accommodari possunt, & morbi ipsius historia confirmantur. Neque enim ab aquae contactu hydrophoborum gula duntaxat offenditur, sed non raro partes omnes, oculi ipsi, unde vel novae partium constitutionis aquae contactum effugientis, vel maximae tensionis vi siccitatisque in membranis nerveis, adeoque & in retina, id usuvenire possit, ut non ab aqua solum, sed ab iis etiam objectis, quae radios plurimos reflectunt, hydrophobi perturbentur (2).

Cum vero uti aliorum plurium, ita & morbi huiusce indoles varia sit, & ad unum eumdemque effectum plures

(1) *Tentam. exper. natur. &c. pag.* 133. *Lugduni Batav.* 1731.

(2) *Falese, Trattato sopra l' Idrofobia.*

res non raro conſpirent diverſaeque cauſae , hinc inficiari nolumus in illius phaenomeni originem convenire aliquando poſſe difficilem deglutitionem , vel imaginationis vitium , vel inmechanicae cauſae praeſentiam ; unde ab ipſo nomine, idea ipſa , ſaepe & ante laborioſum deglutitionis experimentum , ex hydrophobis aliqui contremiſcant.

Atque hic ad ulteriorem rei omnino admirabilis intelligentiam obſervandum eſt , exoriri frequenter in hydrophobis ante perfectam & manifeſtam hydrophobiam paulatim tenuem quamdam , & accurata duntaxat multaque interrogatione deprehendendam aquae quomodocumque ſentiendae fugam, de qua licet conſcii ſint , tamen , quod ſingulare eſt, fateri ipſi renuunt. Neque enim vel dolorem quempiam, vel moleſtiam ab aquae praeſentia ſibi fieri per ſe profitentur , neque de re ulla conqueruntur , aquam tamen reſpuunt , quam ſi exhibeas , inviti excipient : unde iis morbi confeſſio pudorem veluti facere cenſeatur : licet autem illi , ut ita dixerim , pudori moralis cauſa videatur accommodari, quatenus morbi confeſſione , incuſſo omnibus metu , de amicorum ſubſidiis dulcique frequentia actum ſit , tamen cauſam hanc refellit accuſatus ſaepe , uti nos obſervavimus , rabidi quondam canis morſus, & evitatus tamen , eodemque momento per artem occultus laborioſus aquae contactus . Exinde vero creſcente morbo , tenuis haec & ſimplex aquae fuga , vel ignota haec liquidorum antipathia in horrorem vergit.

Cum ergo tantam aquae praeſentia , quacumque demum ratione id fiat, aegris hiſce moleſtiam pariat , ſingulare eſt adeo in morbo ipſo vel ſublevando , vel extinguendo , decantatam fuiſſe, quin & plurimis adhuc exemplis decantari ſubitam in aqua ipſa immerſionem . Quod ſi veritati ſemper conſonet , nulli iam morbo faciliorem nacti ſumus promptioremque medicinam . Animadvertendum tamen plures , quae per aquae immerſionem celebrantur , morbi huiuſce curationes , rabidos aegros , non adhuc

adhuc tamen hydrophobos exhibere. Quod si & in hydrophobis id accidisse dicatur, singulares paucaeque, fortasse & dubiae, historiae perpetuo veritatis argumento inservire nullo pacto possunt, vel insuetas quasdam in hisce, uti & in aliis pluribus, admirari cogimur naturae vias fortunatos aliquando vel ex contrariis effectus promoventis: aut animi potius, quam corporis, actiones perpendendae sunt, videndumque quantum in plurimis nervosi sistematis affectionibus valeant aliquando, aut subitus timor, aut quaecumque agitatae mentis commotiones. Quae tamen adhuc non satis ad rem nostram videntur accommodari, cum hydrophobi aquae contactum & deglutitionem impune nunquam ferant, proindeque nulla esse possit terroris utilitas quae ex principio quodam profluat pessimos necessario effectus adducente, curandumque sit C. Aureliani monito non ut hydrophobi bibant, sed ut bibere velint, & possint. At vero de hac re alibi differendum est, ubi de variis hydrophobiae remediis.

Subducatur ergo legentium oculis atrocis morbi contemplatio, & ampliori aegrorum commodo quid illos a tristi conditione sublevare, quid periculo sufferre possit inquiratur. Antequam vero variam luis huiusce medicinam exponamus, animadvertendum perpetuo est plures rabiei curationes decantari, cum tamen manifesto non constet de communicata rabie, sed morsu tantum: & rabidis etiam dentibus inflictum vulnus innoxium esse aliquando possit, vel ampliori affluentis sanguinis copia, vel dentium ariditate, succique virulenti inopia, vel temperamenti vi, aliisque de causis animantium aliorum morsui communibus. Quid quod imperfectae semper censendae sunt historiae illae, quae de sublata per quodcumque pharmacon rabie fidem faciunt, ni de coniuncta hydrophobia quidpiam affirment. Quod tamen apud scriptores ferme omnes commune est. At quae cum hydrophobia iungitur rabies diversum certe constituit morbi genus, quam quod a simplici rabie constituitur. Licet enim rabidi fortasse plures Orci faucibus evaserint, at

qui iam hydrophobi medicam opem invocarunt, pauci se morti sustulerunt, neque unum idemque semper est, ut vidimus, rabies & hydrophobia, cui certe aegros suos subduxisse non ita facile gloriantur Medici illi prudentiores, in quorum manibus iactata plerumque medicinae miracula evanescunt.

Quoniam ergo in acutorum morborum curatione principem sibi locum vindicat venae sectio, videndum primo est quid ab eiusdem usu in peracuta hac aegritudine polliceri sibi possit divinae artis auctoritas. Singularis est quae in Philosophicis Transactionibus (1) legitur historia hominis iam hydrophobi, qui post 120. uncias sanguinis septem vicibus detracti, pulsu adhuc violento convaluit. Huc etiam referri potest, quam superius innuimus, de hydrophobo non rabido enarratio, quem repetita ad uncias 116. venae sectio restituit immunem, aliaeque in Parisiensi Academia occurrentes rabidorum historiae, quos in pallentis Erebi limine constitutos luci reddidit eductus copiose sanguis (2). Cum vero cerebri inflammatio, & phreniticae affectionis genus quodpiam non raro deprehendatur in hydrophobis, dubitandum occurrit an utilior esse possit instituta uberrime per venas jugulares effusio sanguinis, qua transferendi ad cerebrum humoris cohibeatur affluxus.

Sed in eo totus sit Medicus necesse est ut infusum morsu virus per infectas venas educat, proindeque memoria repetat quaecumque de cutis incisione, suctione, scarificatione alibi dicta sunt. Quo promptissimi remedii genere, dum in angusto res est, de vita ipsa decernitur. Ad cetera etiam artis praesidia confugiendum est, quorum certe utilissimum, in canibus praesertim, esse novimus ustionem vulneris ferro candente citius institutam. Quod in illis idcirco tutius praestantiusque esse arbitramur,

(1) *Num. 448. pag. 274.*
(2) *Hist. de l' Ac. R. de Scienc. du 1699.*

mur, quod in animantibus musculárem corporis texturam sortitis non adeo alte virus, at superficie tenus, intrudatur, proindeque facilis agendi aditus combustione praecludatur. Neque vero dissimulandum, ea quae Chirurgorum Medicorumque consensu in hac re combustioni tribuuntur commoda, difficultatibus obduci plurimis, iisque momenti certe non mediocris. Nam si aperte non constet partem illam eo usque combustam fuisse quousque virus insederit, quae combustionis vi exoritur crusta, & laceratorum vasculorum constrictio, proindeque hiantium osculorum impeditus effluxus, infuso per vulnus toxico viam claudit, & veneficam materiem detinet, exitum in laceratione ipsa, quin & subsequente per pus lacerationis ipsius incremento facile reperturam. Quod si a vulneris, ulcerisve inspectione, contagii in vicinis partibus diffundendi timor sit, lacerata pars abscindenda proxime est, curandumque ne longior escharae locus detur, & combustorum canalium oscula diutius occlusa permaneant, & malignum, quo turgent, liquidum ad interiores partes traducant. Quod ut intelligatur perspicacius, animadvertendum nullum alium esse salubris apud Medicos combustionis usum, quam vasculorum destructionem, humorum effluxum, eoque ipso momento concretionem. Quod ab insurgente illico durissima siccaque eschara comprobatur, a qua, destructis licet vasculis, effluentis, immotique liquidi signum exstat nullum, cum ignis actione in solidam molem coeant animantium fluida, ut egregie notat immortalis famae Vir Gerardus Van-Swieten (1).

Nostri muneris non est, qui naturales duntaxat effectus perscrutamur, iis immorari curationum historiis, quas apud Italos, Gallos, Germanos, aliasve gentes contulisse dicuntur prodigiosa quaedam ferri gelidi candentisve

(1) *In Comment. Boheraav. de Combust.*

tisve fragmenta, variis Divorum nominibus adscripta. Neque enim adcederet per me quidpiam illorum auctoritati, gloriaeque, qui coelestibus fastis inserti, & omnium cultu ac veneratione dignissimi, orbem terrarum diffusis undique portentosae beneficentiae testimoniis impleverunt. Huiusmodi sunt primo in Etruria nostra Clavus ille, quem rusticana quaedam prope Volaterras familia S. Donnini munere suscepisse fertur rabidorum vulneri imponendum. II. Contactus Clavis Aedium D. Bellino sacrarum, de qua Coelius Rodiginus (1), & Matthiolus (2). III. Sigillum stilo ferreo Westhusae prope Elwangen existens, quod ab Hierosolyma Rupertus eques in eas terras transtulisse memoratur (3). IV. Clavis S. Petri, Betteni, Huberti, quae aurea est, apud Gallos, aliaque diversis etiam formis, charactere, ritu, patrocinio diversis in terrae partibus coelesti nomine hydrophobis commendata.

Quae autem purissimam veritatis lucem non raro deturpat sacrarum rerum imperitia, tam singulares apud varias gentes & in hac re methodos excitavit, quibus adeo vulgi insipientis animi delectarentur. Nam quis a risu sibi temperet, ea perpendens quae elegantissimus superstitionum diruendarum Auctor de iis quoque observavit, quae in avertenda rabie publicae communesque sunt superstitiosis consuetudinibus (4)? Ea vero est superstitionis auctoritas, ut licet Parisiensis Facultatis consulto decretum fuerit (5) de iis abolendis, quae iungebantur Stolae usui & Clavis aureae, quam D. Huberto a S. Petro Apostolo traditam ferunt, fidem tamen omnem superet

(1) *Antiquar. lection. Lib. XVII.*

(2) *In Dioscorid. Lib. VI. cap.* 37.

(3) *Gockel. Tract. de Venen.*

(4) *Hist. critique des pratiq. superstit. qui ont seduit les peuples &c. par le P. le Brun. a Rouen.* 1701.

(5) *Saint Beuve, Cas de Theologie Tom. II. cas.* 193.

peret quanta pro aris & focis suis in medium adduxerit facilis quorumdam doctrina, quae sibi & Medicos adiunxit aliqua in parte consentientes, praepotentis auri luce a veritatis contemplatione facile distentos.

Neque involvendum silentio est, non modo portentorum plurium titulo cohonestari religiosum hunc ferri vel gelidi, vel candentis usum, sed & vetustate sua celebratissimam marinae immersionis consuetudinem. Cuius rei cognitionem integram perquirenti, praesto erunt apud rei medicae scriptorem plura illa tot linguis commendata in pago trium Divarum (1) portenta, non ferro candente, sed marinis ablutionibus perficienda.

Elegantissimae Celsi doctrinae primam debemus celebratae in hoc morbo submersionis cognitionem, quae tamen & antiquioribus Medicis verosimillime videtur adfuisse. Eam vero consuetudinem iam paene obsoletam restituit Helmontius, magnisque post illum ausis produxit Tulpius: deinde immersionem hanc in aqua vel marina, vel dulci, non uno recentiores exemplo confirmarunt. Rabidum quippe hominem exhibet Academia Parisiensis vitae periculo sublatum, postquam arbori devinctus aquae situlas 200. toto corpore superiniectas excepisset (2), alios repetita immersione aquae per artem salsae a morbi exitio immunes. Effectus ergo rarissimi, & fortasse in tenui solum morbi gradu, neque semper utilis, originem variis causis Medici tribuendum censuerunt. Et primo in medium adducta est marinae aquae compressionis efficacia (3), utpote quae gravitatis vi, aquae communi plu-

(1) *Vulgo les Sainctes Maries. Valeriol. Observ. Medic. Lib. III. observ.* 3.

(2) *Acad. R. an.* 1699.

(3) *Wainewrigt a mechanical account of the non naturals &c. Elias Camerarius dissert. Taurin. epist. Tubingae* 1712.

plurimum antecellat. II. Internae liquidorum rarefactionis impedimenta ex frigido aquae contactu profluentia (1). III. Ignotae, eaeque admirabiles animi facultates ab improvisa perturbatione consurgentes (2). Quam vero hisce omnibus acquiescendum sit, quam suspecta iure optimo reputetur decantata illa immersionis utilitas, expositum satis superque a nobis est ubi de hydrophobiae origine sermonem instituimus. Ne igitur e latebris erumpat suis Pereirae singularis opinio (3) immersionem ea de causa efferentis, quod aquae-igneo principio in horum elementorum alterutro maiores vires adepto (quae rabiei lepida sane origo est) aequilibrium restituat. Quin & ea, quam superius adduximus, verosimilior ratio tremitus, convulsionumque ex immersione hydrophobis insurgentium, in amplissimo hypothesium somniorumque regno collocari suadet scriptorum asserta referentium hydrophobos aquis iniectos ea de causa perterreri, quod canes in iisdem latrantes audiant, & morsu minaces intueantur, nisi fortasse haec aliquando delirii titulis inserenda sint (4). Quo insaniae genere nonnisi gravissima veritatis documenta Philosophum illum abduxerunt, qui sub ipsum rabiei initium aquis immersus, consuetum, uti ferebatur, canis phantasma terroremque reiecit, Celso teste, nihil aquae & cani commune reperiri iurans.

Neque

---

(1) *Vid. nunquam sat laudatum Meadium.*

(2) *Boberaave de rabie canina.*

(3) *Gomez Pereira de novae veraeque medicinae experimentis. Pereiram hunc, de quo loquimur, Hispanum Saeculi XVI. medicum, celebrem fecit ab eo primum evulgata (libro cui tit.* Antoniana Margarita*) ignota veteribus opinio, quae bestias ceu machinas habet, hoc est non cogitatione solum, sed & sensu destitutas: quam unus ex antiquis innuit fortasse aliquantisper Diogenes.*

(4) *Luc. Tozzi Medicin. pratic. pars altera.*

Neque vero silentio praetereunda sunt quae in canibus aliisve animantibus in rabiem actis experimenta Philosophi susceperunt. Licet enim non exinde quod animantibus quidpiam profuerit, & homini necessario prodesse arbitremur, tamen & profuit non raro, & ignotam rei veritatem illustravit saltem prudens experimentorum analogia. Ingentis ergo auctoritatis remedium, & multorum suffragiis comprobatum decantatur mercurialis salivatio. Canibus nonnullis propinatum turbith minerale iam hydrophobis vitam restituit, quin & hominibus quibusdam duodecim ut plurimum granorum dosi singulis diebus, ita ut emeticas duntaxat vires exereret, vel copiosiore in canibus praesertim, ita ut salivationem plurimam excitaret. (1) Quin & alia plura ex mercurio conflata medicamenta maximae in tollenda hydrophobia utilitatis fuisse praedicantur, ipsumque tum arte, tum natura paratum cinnabari, ex quo constare dicitur rubicundus ille pulvis in Tonkino frequens laudatusque, quem ex India Orientali Cobbius Britannis suis communicavit ex musco & cinnabari conflatum (2). Aliud quoque contra rabiem summae spei remedium praeclarissimus Dampier in peculiari quodam pulvere venditavit, isque ille est qui in Pharmacopea Londinensi sub pulveris antilyssi nomine occurrit a celeberrimo Hans-sloane Regio Medicorum Londinensium Collegio primo exhibitus (3). Componitur is ex aequalibus piperis partibus & lichenis cinerei terrestris, cuius vim antilyssam, hoc est contra rabiem, & Merisonus celebravit (4). Fluviatilis cancri pulverem exhi-

---

(1) *Some experiments made on mad dogs with mercury by D. Robert James Philos. Transact.* num. 441.

(2) *Transf. Philos.* n. 474. n. 16.

(3) *Derham's collection of Philosoph. letters &c. Lond.* 1716.

(4) *Morison plantar. histor. Oxonii* 1699. *pag.* 632.

exhibet post Dioscoridem & Galenum Robertus Boyle (1). Aneti herbae pulverem non solum homini, sed omnibus rabie correptis animantibus utilissimam praedicat Riedlinus (2); mungos radicem, universale illud antidoton, (de quo & parte prima nostri operis) Kaempherus (3) admixtam pulveri, quem contra rabiem indicavit Ponzetus (4). Quid enim loquar de praeclara illa cynorrhodi spongia, quae Raii sententia (5) insectorum glomer est, Bocconii (6) vegetabile, in omnium ferme animalium morsu adeo commendata, ut auctoritate Plinii ab oraculo divinitus in vulgus emissa praedicetur (7)? Eodem titulo nota sunt aliorum plurium remediorum nomina, quae homines fere ad exitium eo morbo deductos luci reddidisse perhibentur. Sic vetusti in Batavia Medici testimonio haleces sale conditi rabidorum vulneri imponendi sunt, & horarum 24. intervallo retinendi: Si putruerint, recentes alii adponendi. Quo facto nulla erit morbi vis, vel nulla saltem hydrophobiae adcessio (8). Alia plura praetermittimus, quorum vires negligent facile qui diruto ingentium pharmacorum, perniciosae ut plurimum ostentationis, imperio serviles sortiti non sunt animas, & alienae potius auctoritati, quam liberae veritati consecratas.

Qui pulveris cantharidum usum in rabie magnis laudibus extulerunt, non, ut Medicis quibusdam visum est,

---

(1) *De specific. remed. cum corpusculari Philosoph. concordia.*

(2) *Lib. cui tit. Curar. medicarum millenarius.*

(3) *Amoenit. exotic.*

(4) *De venen. Lib. III. cap.* 19.

(5) *Hist. Plantarum Tom. II.*

(6) *Museo di piante rare osserv.* 2.

(7) *Hist. nat. Lib. VI. cap.* 41.

(8) *Haller in Comment. Boerhaav. n.* 1154.

eſt, recens iactant inventum, ſed antiquiores, & Arabes ipſos, Rhaſim praecipue, hac in re ducem habent praeceptoremque. Eo pulvere hydrophobiam aſſerunt praecaveri: quod ſali cantharidum diuretico tribuendum putant, quo promota citiſſime affluentis urinae ſeparatione, limphatici ſiſtematis vitia repurgentur, novaeque purioris limphae ſalubrior immutatio conſequatur. Quam vero ceteris omnibus antecellat liberalis in pulveris illius uſu Hungariae Medicina docent Ephemerides Germanicae quae remedii huiuſce copiam exhibent ad decem usque cantharides productam (1). Eo ipſo auctae diuraeſeos merito praedicatur in rabie pulvis ex ſcaraboeis, & maialibus communibus melle ſuffocatis, cuiusmodi ſpecifici genus eos omnes morti ſuſtuliſſe dicitur, qui non adhuc tamen hydrophobi, externique vulneris curatione inſtituta, admirando pulveri vitam commendarunt ſuam (2).

Operae pretium eſſet, in rabie praeſertim, (ſubitum quippe nimis eſt ceterorum animantium virus) primo in morbi ingreſſu copioſiſſimas ex infuſo limonum ſucco, vel reliquis acidorum generibus potationes, & uſum quacumque demum ratione, experiri. Neque hominum graviſſimorum auctoritate duntaxat in id impelli profitemur (3), ſed obſervatione maxime incredibilis utilitatis, quam ab eodem ſucco praeſtitam novimus in hebetanda vel ſufferenda prorſus venenorum quorumdam, & Aquae Peruſinae (4) efficacia, morborumque a lento alkali profluentium. Cum enim canini toxici lenta ſit & diuturna operatio, hinc libera eſt anſa remediorum quorumdam actioni neceſſario lentae, & univerſae, quae paulatim exinde conſequitur, humorum immutationi.

S Sed

---

(1) *Ephem. German. dec.* 1. *a* 1. o. 133.
(2) *Acta Ac. Curioſ. Tom. VI. Obſerv.* 92.
(3) *Volcamer diſſert. de malor. citreor. cultura & uſu.*
(4) *Vulgo* l' Acquetta.

Sed ea ipsa de causa mercurialem salivationem ceteris omnibus praeferendam esse arbitramur. Quid quod ea quae ex mercuriali salivatione fit humorum immutatio salivam spectat intensius, quae primam sine ulla dubitatione morbo illi praebet sedem. Quod non ostendit solum ab infusa saliva communicandum virus, sed & maior quaedam ad rabidi fauces & vitiosa motus violentia, frequentior sputi copia, salivaeque amplioris affluxus, & in prima morbi periodo observanda primarum viarum, quae scilicet salivali latice irrorantur, incommoda. Iam vero nulla salivalis laticis, limphaeque universae immutandae methodus est vel tutior, vel facilior, quam quae unctione illa perficitur. Incredibiles etiam ea in re stimulos addit unicuique Roberti James epistola clariss. Hans - Sloanio inscripta, ex qua canes rabidos plurimos ingens salivatio atroci peste liberavit, & in aliis, qui morsi fuerant, imminentes lethalis morsus cohibuit effectus (1). Quod vehementer optantes experiri nos prohibuit aegrorum praesentia iam hydrophoborum, cum in primo morbi stadio vix ulli de latente morbo cogitent, proindeque nullam consulant medicinam, aegroque iam hydrophobo quomodocumque tentata salivatio gulae convulsiones adducat, mortique per se properanti promptiorem sternat viam.

Postremo inobservata pluribus cautio exponenda est, quae vestes respicit, aliave, quae lethali saliva vel imbui, vel afflari potuerunt; quae quidem deponenda, atque expurganda sunt, cum ab ipso veneficae salivae contactu periculum aliquando adfuisse alibi docuerimus.

Si hactenus imbecillem adeo in eius morbi antidoto novimus Medicinam, quid ni diminuendae saltem funestae luis origini consulat publica auctoritas? Cui ergo dulce potius patris, quam superbum domini nomen in deliciis sit, optimus Princeps, ea etiam in populi salutem cura vigilet necesse est, ut ociosa inutilium canum turba

---

(1) *In Philosophicis Transactionibus Tom. XXXIX.*

turba perpetuo sufferatur: neque in agris modo, sed & in urbibus, neque adcedente duntaxat aestate, (quae apud gentes plurimas viget consuetudo) cum toto anni cursu, ut vidimus, in rabiem ferantur canes. Curam hanc insipientum oculis delicatam fortasse, aut ridiculam, eam re ipsa non esse ostendent luctuosa publicae salutis incommoda, quae unus aliquando intulit canis, neque certe, ut saepe accidit, subito notus, quin a morsu seu parto iam morbo dignoscendus, & nonnisi post diffusam facile in ignotis aliis morbi luem.

Cumque vulgarium duntaxat opinionum errore fiat ut ab heri morsu abstinere dicantur domestici canes, vel rabiei impervii reputentur, qui aquam habent facilem, neque aliorum canum morsibus exponuntur; tamen & de iis cautos nos esse adhortantur eorum Manes, quos domesticorum canum deliciae in Elisia transtulerunt, ac praecipue illustris legum interpres Baldus, quem a Melitensi cane in labro morsum quatuor post menses viventium numero sustulit hydrophobia (1). In qua Baldi historia adnotandum quod canis illius rabiem absorpto piperato iuri plurimi tribuant (2): id vero quanta cum verosimilitudine disputent alii. Ex eo tamen vulgaria de murenis praecepta revocantur in memoriam, quas aceti gustu in rabiem agi tradit Plinius, qua, Columella teste, corripiantur immaniter, squammososque pisces insectentur (3).

(1) *Panzirol. de claris leg. interp. licet ex humano morsu obiisse Baldum asserat Garmannus de mirac. mortuor. Part. VI. cap. 3.*

(2) *V. supracit. Panzirol. & Matthiol. in Lib. VI. Dioscorid. cap. 36. Is (canis) piperato iure absorpto rabiosus effectus conludenti Baldo dente labrum transfixit.*

(3) *Harduin. in Notis ad Lib. IX. Plin. sect. 39. Ea vero, qua corripiuntur, rabies, nil aliud fortasse est, quam furor quidam ebrietatis.*

Ab exposita huc usque rabiei historia manifesto constat, primo animalia, quae nullo naturaliter toxico instructa sunt, naturalium tamen causarum vitio virulenta fieri. Secundo, quod in naturali veneno minime contingit, vim eamdem iis quae infecerunt ita communicare, ut ab illis in alia deinde corpora, infinita fere morbi serie, transferri traducique possit. Quod autem lugubre Philosopho spectaculum facit, illud est, quod infausta illa vis non exiguis duntaxat rabiei finibus continetur, sed in morbis ferme innumeris longe lateque grassatur. Quae enim, quocumque demum pacto, contagiosa fiunt animantia, corporum classi veneno adquisito nocentium inserenda sunt. In eo autem differt a ceteris contagiosum virus, quod scilicet primo eiusdem particulae tenuissimo ferantur extensionis intervallo, ita ut ab alio in aliud corpus aut contactu, aut per fomitem nonnisi proximi loci conditione adducantur. Secundo, quod hae particulae alias sibi similes in sano corpore, quod invadunt, excitent copiosissime, explicent, & contactu multiplicent, seu in sui naturam convertant.

Animantium eiusmodi incrementum facit amplissimum eorum opinio, qui orbem terrarum veneficis vermium turbis impleverunt per hominum viscera debacchantibus, & fatales ex Oriente, aliove coelo colonias in pestis originem ad nos usque transtulerunt. Noxiam hanc animantium oculi vires eludentium familiam philosophicae ut plurimum mentis intuitu, Veteres plurimi, Columella praesertim (1), manifestissime vero M. Varro (2) toto aere pervagari gignique docuerunt. Recentiores vero nonnulli physicis edocti instrumentis, & analogicae rationis vi, ceu pestis, aliorumque morborum ori-

(1) *De re rustica Lib. I. cap. 5.*
(2) *De re rust. Lib. I. cap. 12.*

originem accusarunt (1). Quin & animalia plurima, ceteroquin innoxia, furente peste mortiferas adipisci qualitates sensere Mercurialis, Kircherus, aliique, & veneno infici corporibus bene se habentibus morsu puncturave inferendo. Animus non est aetatis illius historiam componere, qua Philosophorum oculos, mentemque totam vermes impleverunt. Nam in ea opinione, quam tanti nominis scriptores indicarunt; eo usque producta res est, ut impudentem hanc & aliis adeo explosam vermium stirpem, ipsa omnibus necessariae mortis accusatione mulctaverit eruditus rei medicae scriptor, ut non alia tandem quam vermium causa moreremur (2). Quod si veritati consonet, dicendum ergo est hoc tam nefario eorumdem scelere omnino labefactari ingentia illa in humanum genus merita, & honorificam quam de iisdem Philosophi quidam protulere sententiam, qui vermes in humore spermatico delitescentes conspexerunt, hominum deinde natura suscepta nobile quidpiam evasuros, proindeque ingentem Philosophicae admirationi cumulum adcedere ex Hartsoekeri, Lewenoekii, aliorumque observatione, qui oculis singularium microscopiorum usu defatigatis, inspecto humano semine, caste, ut inquiunt, religioseque (3), & sine illorum familiae detrimento, & vel in una eiusdem liquidi guttula deprehensis vermibus propemodum infinitis, vitae mortisque originem sub una diversorum animantium classe constituerunt.

Si quae ergo sunt animantia, quae lethales inspirant morbos, vel commune contagium, veneficis profecto bestiis

(1) *Kircher in pest. Scrutin. Christ. Langius in pathem. animi cap.* 63. *Cogrossi*, *Ant. Vallisner. aliique plures*.

(2) *Christiani Francisci Paulini disquisitio, an mors naturalis sit plerumque substantia verminosa? Lipsiae* 1703.

(3) *Venus Phisique pag.* 133.

ſtiis adiungenda ſunt. Vti vero illorum pars maxima ab eruditione & controverſia Medicorum vitam habet, atque exiſtentiam, ita ſummae mihi difficultatis negocium imponeretur, ſi forte ab ignotarum rerum ſtudioſo percunctarer, naturali ne & perpetuo, an periodico ſolum, vel adquiſito veneni genere inſtruantur. Id ſane vetuſtiſſima regionum quarundam oſtendant documenta, peſtem ſcilicet, alioſve ſub eo coelo morbos epidemicos, animalium quorumdam praeſentia graſſari conſtantiſſime. Quae tamen an morborum eorumdem primae origines reputanda ſint, an vitiatis perditisque vitae gulaeque ſubſidiis, & malignae tempeſtatum conſtitutionis genio vel devota vel praevia, ſecundariae vel coniunctae potius cauſae nuncupentur, alii iudicent. Neque enim ex. gr. facilis adeo veritatis notas redolet, incredibiles illas murium (*Leming lemos* vocant) cohortes campeſtri gazae, annonaeque infenſas, ex vicinis inſulis adfluentes, peſtem apud Norvegos inferre (1). De illo duntaxat veneni genere ſermonem inſtituimus, quod a vi vitae elaboratum a vivente corpore diffunditur. Quod enim ex cadaverum putredine inſurgit contagii toxicique genus, ſuſceptae a nobis provinciae fines excedit, quin & ad plura etiam corpora pertinet, quae nulli unquam animae ſedem praeſtiterunt ſuam.

Peculiari quoque ciborum quorumdam proprietate beſtias quasdam, ceteroquin innoxias, conſtat fieri virulentas. Cavendum diligenter eſt, inquit Cl. Jo. Sloanius, ne vaccae marinae, aliique piſces nonnulli in Jamaica comedantur, qui iis in partibus capti fuerint, in quibus creſcit planta *Mancenille* lethifera, & lethiferi veneni vires iis piſcibus inferens, qui ea in pabulum utuntur (2). Si

---

(1) *Derham dimoſtraz. dell' eſiſt. di Dio Lib. III. cap.* 5. *& Muſeum Vormianum*.

(2) *Voyage to the Islands Madera, Barbados &c. by Jo. Sloane Lond.* 1707.

Si ex apocyno Syriaco, quod mortem inferre muſcis ſolet, apes mella paraverint, funeſta melli vis adiungitur, recenti tamen; in annoſo nimirum evolat volatilis veneni vis & facultas (1). Nimium humano generi metum incuterem certam traducens Cardani fidem, referentis (2) hominem veneno velut in cibum diutius ingeſto humores deinde adeo noxios contraxiſſe, ut occurrentes ſputo extingueret; aut Vincentii *le Blanc* (3) memorantis hominem toxico aſſuetum toto corporis ambitu tam funeſtis praeditum fuiſſe carnibus, ut vel muſcis ipſam ſugentibus lethalis eſſet; aut Sautis Hardoini (4), feminam exhibentis, quae napello veſci adſueta, funeſto illi inſipientum terrori baſiliſco aemula, viventes halitu ſufferret. Vel enim exaggeratum quidpiam hiſce teſtimoniis ineſſe dicendum eſt, vel in lepidioris fabulae gratiam ita exhibitos fuiſſe celeberrimos venenorum conditores, quos maligna quaedam animi vis, & alienis duntaxat exultans infortuniis, in id ſceleris impulerit (5). Quaecumquae autem ſupra recenſitis hiſtoriis habenda ſit fides, fieri tamen poteſt ut innoxia cuipiam ſint, quae ceteris omnibus funeſta ſunt, proindeque virulentos quispiam ſi non humores omnes, aliquos certe (id vero non ſine ſalutis ſuae detrimento) contrahat: cum praecipue peculiarium ciborum uſu peculiares fiant in corporibus conſtitutiones (6), & ex citriorum pomorum ſuctione odor in muſcas traducatur (7). Quae omnia vel cibi dun-

(1) *Haller in Comment. Boerhaav. n.* 2137.

(2) *De venen. Lib. II. cap.* 5.

(3) *Voyage chap.* 15.

(4) *De venen. Lib. I. cap. 6.*

(5) *Singularem incredibilis tam nefarii ſceleris hiſtoriam ſuppeditat liber cui titulus „ Cauſes celebres &c. Tom. I. pag.* 330.

(6) *Bruyerin de re cibaria Lib. I. cap.* 16.

(7) *Chimentelli de muſcis odorat.*

duntaxat ipsius vi fiunt, vel diversa, quam cibi iidem in diversis corporibus subeunt, immutatione.

Quid quod & humani corporis fluida tam atrocem aliquando nanciscuntur qualitatem, ut ipsos excitent effectus, qui ex assumpto veneno derivantur; unde acerrimae medicorum contentiones emanarunt in observandis pro oblati veneni suspicione cadaveribus (1); Hippocrates sane (2) exempla refert morborum a bile profluentium, in quibus iisdem aegri effectibus correpti sunt ac infelices illi, qui veneni periculum fecerunt. De quibus tamen minime solliciti animadvertimus veneni adquisiti titulos amplissimis omnino finibus contineri, si corporum venefica lue aliqua, Gallica ex. gr. infectorum vires perpendamus, aut quae molestae hereditatis iure traducuntur morborum plurium semina, & quas diversa haec aliaque interioris veneni genera in corporibus, virus idem adquisituris, induant proprietates, mutationes, successiones (3) si endemiorum quorumdam, quin & novorum morborum, (quorum plurimi contagio cuipiam iungantur) origines, extensiones, leges perscrutemur, si morborum, quos malignos vocant, veneficam atmosphaeram, & funestos habitus in memoriam revocemus.

Quodcumque autem sit vel epidemici, vel contagiosi, vel quacumque demum ratione traducti morbi principium, id certe asserendum tuto est, venefica iure optimo nuncupari posse animalia omnia, in quibus vel exoriatur contagiosum virus, vel communicetur. Neque alia certe de causa factum est, ut vel ampliori eiusmodi mor-


---

(1) *Jo. Bohnius de officio Medici forens. Paul. Zacchiae Lib. II. Tom. 2. quaest. 6. Silvatic. consil. & respons. Caesalp. Lib. III. cap. 7.*

(2) *Lib. V. de morb. popular.*


(3) *Dermut de Meara dissert. de morb. hereditar. Lond.* 1665.

morborum ſerie, vel animantium ita infectorum numero, minorem virus illud Medicis fecerit admirationem, & anguſtis adeo finibus veneficorum animantium claſſis contineri cenſeatur. At vero rem ipſam vel ſuperficie tenus conſideranti, patebit facile quam longe adquiſiti veneni vires naturalis veneni viribus antecellant. Cum enim id contagio cuicumque peculiare ſit, ut contactu, vel halitu ipſo iuxta morbi diverſitatem diffundatur; hinc ergo non faciliorem duntaxat & ampliorem nanciſcitur extenſionem, verum etiam intrudendi ſeſe tot vias, quot in corpore patent ſuperficies; quarum externa primo abſorbens, exhalansque. Secunda reſpirans, inſpiransque. Tertia alimentaris. Quae omnia innoteſcent facile, ſi perpendantur effectus vaporum cuiuscumque corporis in aliud transfuſorum. Quid quod & venis inſertum in animalia traducitur, uti varioloſae luis inſitio demonſtravit, pro qua moleſtam Academicae pugnae voluptatem, philoſophicae tranquillitatis amici, Theologiae relinquimus, & Iurisprudentiae, diuturna invicem contentione dimicaturis, humanas ne inſitio, divinasve leges offendat, curioſisque ne de funeſta experientis Medici doctrina apud inferos aegri conquerantur.



I N D E X

RERVM IN OPERE OCCVRRENTIVM



PARS PRIMA.

PARS

PARS SECVNDA.



DE

DE VENENO ANIMANTIVM.



QVae variis inserta modis corpuscula, morsu,
Contactu, punctura, aut inspirata per auras,
Ingentes pariunt subitasque in corpore turbas;
Plures exinde ut morbi, aut mors ipsa sequatur;
Haec sunt quae propria dicuntur voce Venenum.
Cumque vel in tenui noceant haec omnia mole,
Hinc aliarum oritur facilis distinctio rerum
Magna quae mole, aut repetita dose nocebunt,
Quaeque Venenorum numero expungenda videntur.
Tres referunt virus species, tria nomina, *Linder*,
Et *Lindestolpus*; nam corrodente metallum
Vi condemnatur, lethali planta sopore,
Obstructo fluidorum animantia toxica cursu:
Nota metallorum tamen excipe damna, negabis
Tam varias rerum species, portentaque tanta
Belvarum, herbarumque una sub classe reponi:
Nam contra historiae, contra experimenta loquentur.
Quae sint intrusis violentius icta venenis
Corpora, num laxis, validis num praedita fibris,
Disceptandi ansam Medicis dedit; actio quippe
Visque venenorum a vi vitae tota petenda est,
Quae partes solvat Naturae munere inertes.
Ergo quo maior vis vitae erit actio maior.
Ergo in robusto poterit plus corpore virus.
Vix autem medicas torquent haec omnia mentes,
Altera cum vivo praesto est in corpore virtus,
Quae contra obsistens, exinde reactio dicta est.

F I N I S.